

De Platonis idea boni.

(Rep. IV, p. 505. sqq.)

Insignis et in universo Platonicorum librorum ambitu prope singularis semper visus est Platonis lectoribus et amicis ille locus, qui est sub finem sexti de republica libri (VI, p. 505 sqq. ed. St.), ubi philosophus de idea boni tamquam philosophiae summo fine et quasi fastigio uberior disserit. Postquam enim quinto de republica libro p. 473 sqq. demonstravit, civitatem non posse ad summam felicitatem pervenire, nisi aut philosophi regnarent, aut philosophi pure et ingenue philosopharentur, ac postea sexto libro, p. 484 sqq. exposuit, qua debeat natura et indole is esse, qui re vera ad philosophandum aptus et philosophia dignus haberit queat, deinde id agit, ut doceat, qua ratione juvenes bona indole praediti ad philosophiam instituendi sint, et qui sit finis, quem universa philosophia spectare debeat. Et hunc quidem philosophiae finem, quo reliqua omnia referantur, in cognoscenda idea boni ponit. Sicuti enim omnia quae ex vulgari opinione bona habentur, non modo externa, opes, valetudinem, honores, al. verum ipsas etiam animi virtutes, justitiam, moderationem, fortitudinem (V, 506. A.) nihil cuiquam prodesse posse, nisi adjuncta cognitione boni: ita omnem scientiam universamque philosophiam pendere a cognitione ideae boni et ad eam esse referendam (p. 505. A.). Ideam boni Plato quasi centrum circuli proponit, ex quo exeat et ad quod dirigantur omnes singularium cognitionum radii.

Haec ita sunt consentanea Platonis et Socratis de bono sententiae, ut si nihil praeterea philosophus addidisset, profecto locus noster nec tantam lectoribus admirationem movisset, nec tantam interpretibus dubitationem, quantam eum antiquitus movisse scimus. At non acquiescit Plato in significanda illa ratione, quae ideam boni inter et reliquam philosophiam intercedat, verum alia quoque multo majora et graviora addit, non definiens quidem ideae boni notionem, quippe quod a disserendi genere illo in dialogo instituto longius absit,¹⁾ sed ejus tamen vim et efficaciam luculenta comparatione describens. Utitur enim imagine solis, quem quasi filium ideae boni dicit, et qualis sol est in mundo sensibili, talem in intellectuali mundo ideam boni esse docet. Atqui solis luce non solum id efficitur, ut et conspici res externae et oculi videndi facultate uti possint (507 C. 508 D.), verum etiam ut crescant et vigeant, alantur et augeantur quaecunque generationi obnoxia sunt non potest aliunde repeti, nisi a solis efficacia (509 B.). Eodem modo per ideam boni non solum ut animus cognoscatur, et ut cognoscantur, quae cognoscuntur, effici, sed ipsam etiam essentiam rebus illis intellectualibus, quas animus cognoscere potest, tribui dicit. (508 D — 509 B.) Veluti

¹⁾ Rep. VI, 506. Εἰ δὲ, ὡς μακάριοι, αὐτὸς μὲν τὸ ποτέσπου τάχαθὸν εἴνομεν τὸ νῦν εἴναι. πλέον γάρ μοι φαίνεται ἵνα κατὰ τὴν νῦν παροῦσαν δόμην ἐφικεσθαι τοῦ γε δοκοῦντος ἐμὸν τὸ νῦν. ὃς δὲ ἔχειος τε τοῦ ἀγαθοῦ φαίνεται καὶ ὅμοιότατος ἐπείγω, λέγειν ἔθειλο. Ex ἀγαθοῖς δόγμασι Platonis (de quibus cf. Brandis diatribe de perditis Aristotelis libris de idea et de bono. p. 1—5. Trendelenburg, Platonis de ideis et numeris doctrina ex Aristotele illustrata. p. 1—4) apparet, Platonem Unum, τὸ ἐν statuisse ipsum bonum esse. Cf. Trendelenburg. I. l. p. 96. sqq.

sol non ipse est generatio, sed supra omnem generationem elatus crescendi augendique summus auctor, ita ex Platonis sententia idea boni ipsam essentiam (*τὴν οὐσίαν*) dignitate et potentia superans omnibus, quae sunt, causa est, ut sint.

Istam ideae boni descriptionem si accurate perpendimus, nec luminibus orationis et poeticae cuidam superlationi Platonem plus tribuisse opinamur, quam veritati — quod per universam et librorum de republica et hujus potissimum loci naturam non licet opinari — non videmur in ea interpretatione acquiescere posse, quam supra proposuimus. Neque enim solum veritatem omnem et cognitionem ab idea boni pendere, sed ipsum quoque *τὸ* esse *iis* rebus, quae sunt, ex idea boni contingere, plane ac diserte Plato contendit, et omnino de idea boni talia praedicat, quae nisi in deum convenire non videantur. Quod enim fere deus dicitur veritatis et cognitionis ipsiusque essentiae rebus, quae sunt, auctor idemque summus cognitioni finis esse, idem nostro loco ad ideam boni referri videmus. Quo factum est, ut et antiquitus et nostris temporibus multi exstiterint, qui per ideam boni ipsum deum a Platone significatum esse censerent, quamquam non defuerunt, qui rejecta illa opinione in alia omnia abirent et ideam boni a deo probe distinguendam esse contenderent. Cujus quidem sententiae quum nuper exstiterit acerrimus defensor C. Fr. Hermannus²), vir subtilis ingenii Platonisque

²⁾ In indice lectionum in academia Marburgensi per semestre hibernum 1832 — 1833 habendarum, qui liber repetitus est in Jahnii annalibus philol. paedagog. 1832. Tom. Suppl. I. Fasc. 4. p. 622 — 632. — Nomina eorum, qui per ideam boni deum significari censuerunt, commemorata sunt l. l. p. 4. (Jahn. p. 625.)

in paucis gnarus, eaque in re argumentis usus sit, ut parerat, haud spernendis, non ineptum mihi videtur, quibus rationibus nitatur vetus illa et vulgata sententia, qua ideam boni a Platone pro deo habitam esse dicunt, denuo investigare, et pro parte virili aliquid ad hanc quaestionem dirimendam conferre. Est autem haec quaestio ejusmodi, ut neque ex proposito reipublicae loco, vel accuratissime examinato et excusso,²⁾ dissolvi queat, neque allato alio quodam singulari loco, quo Plato apertius tectius significet, utrum distingui velit ideam boni a deo necne — neque enim exstat apud Platonem ullus ejusmodi locus — sed unice ex universi systematis nexu recte de re dijudicari possit. Ab altera enim parte, quae sit Platonis ideae notio, quam statuat idearum alternam inter se rationem, is perspectum habeat oportet, qui de idea boni judicium non temere ferre voluerit; ab altera parte Platonis de summo numine sententia undequaque ex ejus libris depromenda est, ut conjunctis his duabus ideae boni et dei notionibus plane appareat, numquid inter utrumque interesse Plato censuerit. Quare ita instituemus disputationem nostram, ut primum idearum Platonicarum natura et mutua inter se ratio explicetur, deinde dei notio ex Platonis sententia proponatur; qua via progressi si demonstraverimus, recte eos judicasse, qui ideam boni ac deum idem Platonis esse dixerint, denique ea argumenta, quae contra hanc sententiam nuper prolata sunt, singula deinceps examinabimus.

²⁾ Leve quoddam indicium, ex quo conjiciatur, per ideam boni deum significari, inde repetere quispiam potuerit, quod Plato solem deum coelestem appellat. p. 508. A. Τίνα ἔχεις αἰτίασσοιαι τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν et deinde τοῦτον τὸν θεόν. Sed hoc ejusmodi est, ut, nisi rationes multo graviores accendant, nihil possit valere.

I.

Ab admiratione et profectam esse et proficisci debere omnem philosophiam consentientes inter se statuunt principes Graecae philosophiae Plato et Aristoteles. Ac profecto a vulgatis communique usu receptis de rerum natura opinionibus nemo umquam recedet, nisi quid sive in rerum natura, sive in ipsis illis opinionibus oblatum adeo ejus animum perculerit et admiratione ac dubitatione permoverit, ut nequeat in reliquorum sententia acquiescere, sed novam cognitionis viam sibi quaerendam esse videat. Ad hoc philosophandi incitamentum attendisse et quod quisque philosophus habuerit quaevisisse, plurimum conferet ad ipsam philosophi sententiam accuratius perspiciendam; etenim ita demum non solum quid statuerit, verum etiam cur illud statuerit, quod statuit, luculenter apparere poterit. Ac Platoni quidem eadem fuit inveniendae et excogitandae suae sententiae caussa, quae priores quoque Graecorum philosophos tantum non omnes ad philosophandum impulerat, mutationem dico in rerum natura conspicuam. — Quae postquam antiquissimis philosophis Jonicis incitamentum fuit, ut quaererent, quae sit mutationis caussa et qui fiant, quae fiunt, postea Heraclitum movit, ut ipsam mutationem rebus tamquam propriam ac suam qualitatem tribuens omnia fluere perpetuoque omni mutationis genere mutari censeret, deinde Parmenidem, ut cognita interna repugnantia, qua notio rei mutatae, in qua et esse aliquid et hoc ipsum quod sit, non esse inest, laborat, rejecto sensuum judicio res experientia nobis oblatas non esse, sed unice ipsam essentiam, ipsam τοῦ esse notionem vere esse contenderet: Platoni denique in caussa fuit, ut perspectis his reliquisque placitis philosophicis ante ipsius aetatem propositis, ab Heraclito longissime recedens, pro-

piusque accedens ad Parmenidem suam de ideis doctrinam effingeret. Etenim cognoscere id, quod est, Platoni propositum erat, quem philosopharetur; ⁴⁾ qua quidem re nihil videatur facilius esse, si sensuum iudicio et auctoritati confidere liceat, quibus innumerae res, quas esse dicimus nobis offeruntur. At istae res, quibus sensuum testimonio confisi fere tribuimus, ut sint, ita sunt mutationi obnoxiae, ut earum nulla talis maneat, qualis est; et si quis ullam earum re vera esse affirmare eique unam ex qualitatibus illis, quas induit et abjicit, tamquam suam vereque existantem assignare voluerit, statim sibi ab ea sententia recedendum esse videbit. Nimirum in tali affirmatione sibi ipse luculentissime repugnat, quoniam, quam qualitatem rei tribuit, eandem eidem rei, utpote mutatae, detrahere est coactus. Sensisse se ac penitus perspexisse hanc repugnantiam, quae notioni rei mutatae inest, Plato egrie in Timaeo significat p. 49 B. sqq. ὁ δὴ τῦν ὑδωρ ὄνομάκαμεν, πηγήν μενον, ὡς δοκοῦμεν, λίθους καὶ γῆν γηνόμενον δρῶμεν, τηρούμενον δ' αὖτις καὶ διακρινόμενον ταῦτον τοῦτο πνεῦμα καὶ ἀέρα· συγκαυθέντα δὲ τὸν ἀέρα καὶ πῦρ· ἀνάπταντι δὲ συγκριθὲν καὶ κατασβεσθὲν εἰς ιδέαν τε ἀπίὸν αὐθις ἀέρος πῦρ καὶ πάλιν ἀέρα ξυνιόντα καὶ πυκνούμενον νέφος καὶ ὄμιζλην, ἐκ δὲ τούτων ἔτι μᾶλλον ξυμπιλούμενων ὁέον ὑδωρ· ἐξ ὕδατος δέ γῆν καὶ λίθους αὐθις· κύκλον δέ οὔτω

⁴⁾ Soph. p. 254. A. ὁ δέ γε φιλόσοφος τῇ τοῦ ὅντος ἀεὶ διαλογισμῶν προσκείμενος ιδέα. Rep. V. 477. B. Οὐκοῦν ἐπιστήμη ἐπὶ τῶν ὅντις πέφυκε γνῶναι ὡς ἔστι τὸ ὅν; Theaet. 185. C. sqq. Phil. 58. A. τὴν γὰρ περὶ τὸ ὅν καὶ τὸ ὅντος καὶ τὸ κατὰ ταῦταν ἀεὶ πεφυκός πάντως ἔγωγε οἷμαι ἡγεῖσθαι ξύμπαντας, ὅσοις τοῦ καὶ σμικρὸν προσήργηται, μακρῷ ἀληθεστάτην εἶναι γνῶστην.

διαδιδόντα εἰς ἄλληλα, ως φαίνεται, τὴν γένεσιν. οὗτος δὴ τούτων οὐδέποτε τῶν αὐτῶν ἐκάστων φανταζομένων ποῖον αὐτῶν, ως ὃν ὅτιοῦν τοῦτο καὶ οὐκ ἄλλο, παγίως δισχυροῦμενος, οὐκ αἰσχυνεῖ γέ τις αὐτὸν; οὐκ ἔστιν — — φεύγει γὰρ οὐχ ὑπομένον τὴν τοῦ τόδε καὶ τὴν τούτου καὶ τὴν τῷδε καὶ πᾶσαν ὅση μόνιμα ως ὅντα αὐτὰ ἐνδείκνυται φάσις.⁶⁾

Et inde Platonem philosophandi principium petuisse non injuria ex eo conjicere possumus, quod iis rebus ad cogitandum philosophandumque praecipue nos provocari dicit, quae simul cum contrariis in sensum cadant. Rep. VII, p. 524. D.

ἄ μὲν εἰς τὴν αἰσθησιν ἀμα τοῖς ἐναντίοις ἐμπέπτει παρακλητικὰ τῆς νοήσεως ὄριζόμενος. Illo igitur, quem praeclare describit, pudore Plato coactus fuit res sensibus perceptas e numero earum removere, quae esse dici possint; naturae enim mutabilitate omnis scientiae firmitas et constantia tollitur.

Quo autem confugiet scientia sublato universo externarum rerum mundo? Quid tandem erit, quod quum aeter-

5) Memorabilis etiam locus, ex quo appareat, mutabilem rerum existentium naturam Platoni idearum statuendarum caussam fuisse legitur Rep. V, 479. A., ubi philosophus eos, qui de idearum veritate dubitant, hisce alloquitur verbis: Τούτων, ὡς ἀριστε, φήσομεν, τῶν πολλῶν καλῶν μηδεὶς ἔστιν, ὃ οὐκ αἰσχρόν φανήσεται; καὶ τῶν δικιῶν, ὃ οὐντὶς ἀδικον; καὶ τῶν ὁσίων, ὃ οὐκ ἀνόσιον; Οὐκ, ἀλλ ἀνάγκη, ἔφη, καὶ καλύ πως αὐτὰ καὶ αἰσχρὰ φανῆσαι, καὶ ὅστις ἀλλα ἔρωτές; Τί δέ; οὐ πολλὰ διπλάσια ἥπτον τι ἡμίσεα φαίνεται; Οὐδέποτε. Καὶ μέγαλα δὴ καὶ σμικρὰ καὶ κοῦφα καὶ βαρέα μή τι μᾶλλον ἢ ἀν φήσωμεν ταῦτα προσορθήσεται ἡ τάγαντις; Οὐκ, ἀλλ ἀει, ἔφη, ἐκαστον ἀμφοτέρων ἔξεται. Πότερον οὖν ἔστι μᾶλλον ἢ οὐκ ἔστιν ἐκαστον τῶν πολλῶν τοῦτο, ὃ ἀν τις φῇ αὐτὸν εἶναι;

num, immutabile semperque idem sit, verae firmaeque cognitioni possit subjectum esse? Plato illud invenit in *notionibus*. Licet aqua — ita fere eum arbitramur cogitando progressum esse — gelu contrahatur, calore iterum liquefiat vel in nebulam convertatur et vice versa eundem mutationis orbem permeat, notiones tamen solidae, liquidae et aeriae naturae eadem sibique constantes manent; licet fortis homo reddatur ignavus, ignavus induat fortitudinem, licet pulchra res in deformitatem vertatur, deformis in pulchritudinem, notiones tamen ipsae, quibus id, quod forte, ignavum, pulchrum, deforme est, cogitamus, a mutatione illa nequaquam attinguntur; notiones liberae sunt illo mutationis et internae diversitatis vitio, quod in rebus experientia perceptis conspicuum nos vetuit iis essentiam⁶⁾)

6) Monitos velim lectores, vocabulo *essentiae* et hoc loco et per universam disputationem non significari rei alicujus naturam vel qualitatem (*das Wesen*), sed quod consentaneum est origini vocabuli, ipsum τὸ σῆμα, *res* (*das Seyn, die Realität*). *Essentia res* distinguuntur a *meris notionibus*; et enim notiones, tamquam notiones, non ponuntur, nisi in cogitando; quaelibet autem res, quae est, ponitur non habita vel alias rei, ex qua pendeat, vel mentis, a qua cogitetur, ratione, sed ponitur absolute. *Ipsa essentia cernitur in absoluta positione.* Unde simul apparet, et essentiam, τὸ σῆμα, distinguendam esse ab eo, quod est, τὸ οὖτι, quoniam absoluta positio habeat quidem oportet aliquid, quod per eam ponatur, neque tamen ipsa id est, quod ponitur; et essentiam non esse qualitatem vel praedicatum ejus, quod esse dicitur, sed modum ponendi; ipsa enim qualitas nequaquam immutatur, sive cogitari tantummodo, sive esse dicimus eam, quam cogitamus, naturam, ac discrimen unice in eo cernitur, quod vel absolute ponitur, vel ita ut a mente pendeat. — Haec attigisse sufficiat, quoniam infra respi-

tribuere. Itane propter hanc incolumitatem sublata sensuum fide et experientiae auctoritate notiones dicemus id esse, quod vere est? Dubitabit profecto, quicunque cogitationem a cognitione, objectum cogitandi a re, quae est, distinguere consueverit; probabit vero cui in eo, quod notionem cogitando ponere ei contigit, veritatis testimonium et ipsius essentiae fides contineatur. Et haec quidem Platonis fuit sententia, cui non minus, quam Parmenidi,⁷⁾ persuasum erat, quidquid cogitemus, propter id ipsum esse, quia cogitemus. Quod enim Parmenides simpliciter dicit ταῦτὸν δέ ἔστι νοῦν τε καὶ οὐνεκέν ἔστι νόημα, id sibi prorsus probari Plato plus semel significat. Praecipuus hac in re est locus dialogi Parmenidis nomine inscripti, p. 132. B., ubi postquam ex investigata notionum ad res singulares ratione multae subortae sunt difficultates, Socrates Platonicus quaerit, num forte notionum quaeque nihil sit, nisi id ipsum, notio et cogitatio. Ἀλλὰ, φάναι, ὁ Παρμενίδης, τὸν Σωκράτη, μὴ τῶν εἰδῶν ἔκαστον ή τούτων νόημα καὶ οὐδαμοῦ αὐτῷ προσίκη ἐγγιγνεσθαι ἀλλοθι ή ἐν ψυχαῖς. οὐτω γάρ ἀν ἐν γε ἔκαστον εἴη καὶ οὐκ ἀν ἐτι πάσχοι, ἀ νῦν δή ἐλέγετο. At statim deinceps ad haec respondeatur. Τί οὖν; φάναι, ἐν ἔκαστον ἔστι τῶν νοημάτων, νόημα δέ οὐδενός; Ἀλλ ἀδύνατον, εἰπεῖν. Ἀλλά τινός; Nat.

cienda erunt; rem pertractare non est hujus loci. Conferri possunt qui de notione essentiae in hanc sententiam disseruerunt Kant Kritik der reinen Vernunft. p. 620 sqq. ac praecipue Herbart Einleitung in die Philosophie. §. 111. seqq. ed. III. et Metaphys. tom. II. p. 81—93.

⁷⁾ Haud scio, an ipso hoc consensu effectum sit, ut Plato Parmenidem prae reliquis philosophis omnibus singulari quadam aestimatione dignatus sit. Theaet. p. 183. E. Sophist. 237. A.

'Οντος ή οὐκ ὄντος; "Οντος. Οὐκ ἐνός τινος, οὐκέπι πᾶσιν ἔκεινο τὸ νόημα ἐπὸν νοεῖ, μίαν τινὰ οὖσαν ιδέαν; Ναι. Εἴτα οὐκ εἰδος ἔσται τοῦτο τὸ νοούμενον ἐν εἴναι, ἀεὶ δὲν τὸ αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν; "Ανάγκη αὖ φαίνεται. quibus verbis veram significari Platonis sententiam, licet per eam in novas difficultates implicetur, patebit coll.

p. 135. A. B. ⁸⁾) Eodem pertinet locus e quinto de republica libro p. 476. E., ubi ex ipsa cognoscendi natura concluditur esse illud, quod cognoscitur. "Ο γιγνώσκων γιγνώσκει τὶ ή οὐδέν; οὐδὲν μοι ὑπὲρ ἔκεινου ἀποκρίνου. "Αποκρινοῦμαι, ἔφη, δότι γιγνώσκει τι. Πότερον δὲ η οὐκ δὲν. "Ον· πῶς γὰρ ἀν μὴ δὲν γέ τι γνωσθείη; Ex hoc apparebit Platonis in ipsa notionum natura contineri visum esse, ut sint, quia cogitantur, vel ut sint res vere existentes, congruae singulis quibusque notionibus. ⁹⁾)

⁸⁾ Similia legimus Tim. p. 51. B. sqq.

⁹⁾ Non me fugit, quam acerbe et vehementer C. Fr.-Hermannus in eos invehatur, qui contendere audeant, idem Platoni esse τὸ esse et τὸ cogitare. Ait enim in censura historiae philosophiae ab H. Rittero scriptae (quae censura separatim edita est Heidelberg. 1833.) p. 48.: Es ist ein wahrhaft unheimliches Gefühl für jeden, der Plato kennt und liebt, Hrn. Ritter in dem fixen Wahne, daß Seyn und Erkennen bei Plato identisch sei, alles verdrehen und verzerrn zu sehen, so daß uns die herrlichsten Schöpfungen des großen Weisen als gespenstische Schemen vorgaukeln! Non identitatem quidem τρῦ esse et τοῦ cogitare nos statuimus a Platone propositam, sed quam ab eo diximus cogitatam esse inter utrumque necessitudinem, ut quod cogitatur, propter id ipsum esse censeatur, profecto tam prope abest ab illa identitate, ut in eandem acerbissimam vituperationem non possimus non incurrere. Sed videant viri docti,

Haec duo si vere ex Platonis sententia disseruimus, externum mundum a vera scientia et cognitione esse sejungendum, notionibus autem tribuendum esse, ut sint, quia cogitantur, necessario inde consequens est, notiones, quippe quibus essentia sua ipsorum natura competit, verum esse

utrum praejudicatis quibusdam opinionibus, an ipsis Platonis verbis ad hanc sententiam adducti simus. Locos supra laudatos sufficere arbitror ad judicium hac de re ferendum; sed liceat in cumulum duos addere. In dialogo Phaedri nomine inscripto Plato postquam celeberrima fabula aeternarum rerum contemplationem descripsit, nullam umquam animam hominis speciem induere dicit, nisi quae aliquando veritatem, ea, quae vere sunt, intuita sit; δεῖ γάρ, pergit p. 249. A., ἀρθρωπος ξυνέπει καὶ εἰδος λεγόμενον, ἐν πολλῶν ἵναν αἰσθήσεων εἰς ἐν λογισμῷ ξυναιρούμενον· τοῦτο δὲ ἔστιν ἀνάμνησις ἐκείνων, ἡ ποτὲ εἰδεν ἡμῶν ἡ ψυχὴ συμπορευθεῖσα· θεῷ καὶ ὑπεριδοῦσα ἢ τοῦ εἴραι φαμεν καὶ ἀγανάψασα εἰς τὸ δυντως ὅν. Quod quomodo cum antecedentibus cohaereat, et omnino quomodo consentiat prior Phaedri pars, qua mythice intuitio intellectualis rerum aeternarum describitur, eum altera, qua de rhetorice, tamquam notionum recte tractandarum arte agitur, nemo, opinor, perspicere poterit, nisi idem Platoni fuisse censeat id, quod cogitatur, et id, quod in re ac veritate est. — Majorem etiam vim ad hanc sententiam firmandam haud scio annon locus dialogi sophistae habeat, quem miror ad eam probandam a nemine, quod sciam, adhibitum esse. Dicit enim Plato, difficile esse, errorem statuere; qui enim censeat, errari omnino posse, eum admittere debere, ut sit id, quod non est. Τετόλμησεν, inquit, ὁ λόγος οὗτος ὑποθέσθαι τὸ μὴ ὅν εἶναι· ψεῦδος γάρ οὐκ ἀν ἄλλος ἐγίγνετο ὅν. p. 237. A. At si erratur, non est id, quod non est, sed cogitatur id, quod non est et in ipsa hac cogitatae veraeque rei qualitatis differentia erroris natura cernitur. Plato autem, quod esse ponit, ubi cogitari dicendum erat, aperte prodit, idem sibi utrumque videri.

et unicum philosophiae objectum. Et his quidem ipsis verbis jam fere descriptsimus, quid Plato idearum nomine significet. Notiones, ut quae non mera cogitatione contineantur, sed quia cogitentur, tales sint, quales cogitentur, vel res extantes rerum species, quae, quales sint, tales cogitando concipientur, nec possint aliter nisi cogitando concipi, Platoni sunt ideae. Quarum quidem vim et indolem si penitus volumus perspicere, cavendum est, ne quum duplex earum natura sit, alteram prae altera negligamus, et vel unice notionum naturam retineamus, omissa essentia, vel essentiam neglecta notionis qualitate; pariter utrumque servandum est, sicuti a Platone utrumque videmus diserte significari. Notionum enim generallium naturam tum maxime assumunt et sponte quasi induunt, si res multae eaeque variae et mutationi obnoxiae, quae continentur unius notionis ambitu, huic notioni, quae eas complectitur, tamquam uni opponuntur, Phaedr. p. 249. B. δεῖ γὰρ ἀνθρώπον ξυνιέναι καὶ εἰδος λεγόμενον, ἐκ πολλῶν ίὸν αἰσθήσεων εἰς ἐν λογισμῷ ξυναριθμητον. Phileb. p. 16. D. δεῖν οὖν ἡμᾶς τούτων οὕτω διακεκομημένων ἀεὶ μίαν ἰδέαν περὶ παντὸς ἔκαστοτε θεμένους ζῆτεῖν· εὐρήσειν γὰρ ἐνοῦσαν. Politic. p. 285. B. τὰς δὲ αὐτὸν παντοδαπὰς ἀνομοιότητας, ὅταν ἐν πλήθεσιν ὄφθῶσι, μὴ δυνατὸν εἶναι δυσωπούμενον πάνεσθαι, πρὸιν ἀν σύμπαντα τὰ οἰκεῖα ἐντὸς μιᾶς ὁμοιότητος ἔχεις, γένους τυρος οὐσίᾳ περιβάλληται. Rep. VI, 507. B. Καὶ αὐτὸ δή καλὸν καὶ αὐτὸ ἀγαθόν καὶ οὕτω περὶ πάντων, ἢ τότε ως πολλὰ ἐπιθεμεν, πάλιν αὖ κατ’ ἰδέαν μίαν ἔκαστον ως μιᾶς οὔσης τιθέντες ὁ ἔστιν ἔκαστον προσαγορεύομεν. Rep. VI, 493. E. Phaedr. p. 265. D. Soph. p. 253. D. al. Essentiam autem ideis tribuendam esse Plato sere numquam

omittit significare, ubicunque de iis disserit. Cf Parm. 128. E. οὐ νομίζεις εἶναι αὐτὸν καθ' αὐτόν εἰδός τι ὁμοιότητος καὶ τῷ τοιωτῷ αὐτὸν τι ἐναντίον, ὃ ἐστιν ἀνόμοιον. 135. A. ἀνδρὸς πάντα μὲν εὐφυοῦς τοῦ δυνησομένου μαθεῖν ὡς ἔστι γένος τι ἐκάστον καὶ οὐσία αὐτὴν καθ' αὐτήν. Politic. I. I. p. 285. B. γένους τινός οὐσία. Symp. p. 211. B. (τὸ παλὸν) αὐτὸν καθ' αὐτὸν μεθ' αὐτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὅν. Phaedon. p. 78 D. αὐτὲς τό γένον, αὐτὸν τὸ καλὸν, αὐτὸν ἐκαστον ὃ ἔστι, τὸ δὲ, μήποτε μεταβολήν καὶ ἡγεμονοῦν ἐνδέχεται; ήτοι αὐτῶν ἐκαστον, ὃ ἔστι, μονοειδὲς ὅν αὐτὸν καθ' αὐτὸν ὡςαύτως καὶ πατὰ ταῦτα ἔχει καὶ οὐδέποτε οὐδαμῇ οὐδαμῷς ἄλλοιώσιν οὐδεμίαν ἐνδέχεται; Ωσαύτως, ἔφη, ἀνάγκη καὶ πατὰ ταῦτα ἔχειν. Tim. p. 51. B. al. — Paucos attuli locos ad utramque idearum naturam significandam, quum multo plures afferri possint, locorum multitudine probandi vim haud magnopere augeri ratus; satis jam, opinor, ex iis, qui laudati sunt, apparebit, ideas Platonis esse notiones praeditas essentia, vel, ut utar Kantii Herbartiique verbo, notiones absolute positas, hoc est, quia per unamquamque ex iis aliquid ponitur, qualitates absolute positas. Inde etiam patet, quod Plato omnem temporis, loci, extensionis notionem ab ideis procul removit. Qui enim extensas cogitaverit ideas, non meminit, spretis ac prorsus rejectis sensuum testimoniis ex sola cogitandi auctoritate positas esse ideas, in ipsa autem qualitatis cuiusdam notione nihil inesse, quod extensionem significet; qui de tempore quaesierit, is respiciens nimirum ad ortum et interitum, manifesto ideis mutationem tribuit, ex qua eas exemptas esse oportet; et qui locum denique sciscitatur, oblitus est, simpliciter et absolute poni ideas.

(αὐτὸν καὶ αὐτὸν μεγ̄ον αὐτοῦ), neque alteram ponit in altera, vel alterius ratione habita, quibus ex relationibus loci notio unice oritur. Acquiescendum est in simplice illa affirmatione: Ideae in re ac veritate sunt, talesque manent, quales sunt.¹⁰⁾

10) Quam exposuimus de ideis Platonicis sententiam, eam dudum jam proposuit et idoneis argumentis firmavit **Herbartius** in *commentatione de fundamento systematis Platonici scripta. Gottg. 1805.* (Cf. Ejd. *Lehrbuch zur Einleitung in die Philosophie IV*, 4.), et ante eum **Gottl. Em. Schulze** diss. *de ideis Platonicis Viteb. 1786;* nec improbare videtur **Brandisius**, über die Zahlenlehre der Pythagoraeer und Platoniker *Rhein. Mus. 1828.* p. 566. Impugnat autem Herbarti sententiam **H. Richterus** in libello, quem de ideis Platonicis edidit (*Lips. 1827.*) et ita refutasse sibi videtur, ut acerba quadam irrisione abstinere nequeat: quare nostrum esse videatur, qui eandem sententiam amplexi sumus, ejus argumenta perpendere et refellere. Quod quidem officium non essem detrectatus, nisi illa *commentatio* aut nulla egere videatur *refutatione* aut longiore, quam quae huic loco apta foret. Etenim Richterus adeo non constitit sibi ipse, ut difficile sit eum impugnare. Ideam absolute et per se existare plane ac diserte negat, neque aliud quidquam nisi cogitationem esse asseyerat. Est ea, ait, in mente, neque potest, quum notio et cogitatio sit, esse praeterquam in animo. p. 75. At ubi de idea boni agitur, non dubitat, per eam deum, existantem illum per se nec cogitatum tantummodo significatum putare. Idea, ait enim, non solum essentia, sed etiam natura essentia aeterna praedita a Platone significatur. p. 79. — Quid omnino essentiae nomine Richterus intellexerit, vix puto quemquam assequi vel accurate definire posse. Quid quod in exponenda Platonica notione τοῦ εἴδους ubi duas distinguit significationes iisdem locis ex Platonis libris utitur ad diversas notiones inde probandas.

Quae hucusque de idearum natura exposuimus, ipso Platone unice auctore usi, ea inde haud mediocre fidei momentum accipiunt, quod prorsus cum iis consentire cognoscimus testem de Platonis philosophia locupletissimum, Aristotelem. Nam primum quidem, quod supra ex ipsis Platonis scriptis collegimus, mutabilem rerum sensibilium naturam Platoni in caussa fuisse, cur eas a cognitione et scientia prorsus segregaverit, aliudque quaesiverit immutabile sibi constans cognitionis objectum, idem disertis verbis Aristoteles refert. Metaph. I, 6. ἐκ νέου τε γὰρ συγγενόμενος (ὁ Πλάτων), Κρατύλῳ καὶ ταῖς Ἡρακλείτειοις δόξαις, ως ἀπάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ὁ εόντων καὶ ἐπιστήμης περὶ αὐτῶν οὐκ οὔσης, ταῦτα μὲν ὑστερον οὕτως ὑπέλαβεν. — — Άδύνατον γὰρ εἶναι τὸν κοινὸν ὅδον τῶν αἰσθητῶν τυνος, ἀεὶ γε μεταβαλλόντων. ibid. XII, 4. συνέβη δέ τι περὶ τῶν εἰδῶν δόξα τοῖς εἰποῦσι διὰ τὸ πεισθῆναι περὶ τῆς ἀληθείας τοῖς Ἡρακλείτεοις λόγοις, ως πάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ φεόντων. "Ωστέ εἴπερ ἐπιστήμη τινὸς ἔσται καὶ φρόνησις, ἐτέρας δεῖν τινας φύσεις εἶναι παρὰ τὰς αἰσθητὰς μεγούσας· οὐ γὰρ εἶναι τῶν φεόντων ἐπιστήμην. Deinde ideas esse notiones generales saepissime et aliter et usurpato vocabulo καθόλου significat. Metaph. VII, 14. φανερὸν δέξαται τούτων τὸ συμβαῖνον καὶ τοῖς τὰς ἴδεας λέγουσιν οὐσίας τε καὶ χωριστὰς εἶναι ἄμα, καὶ ἄμα τὸ εἰδος ἐκ τοῦ γένους ποιοῦσι καὶ τῶν διαφορῶν. XIII, 4. Άλλο μὲν Σωκράτης τὰ καθόλου οὐ χωριστά ἐποίει οὐδὲ

p. 5. coll. p. 7. not 11. — Propter hanc inconstantiam illius disputationis vix operae prelium foret, ea argumenta, quae ibi proposita sunt, seorsim respicere.

τούς ὄφισμούς, οἱ δὲ χώρισαν καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων ἰδέας προσηγόρευσαν. Met. I, 6. Denique non solum animo concipi, sed in re ac veritate esse ex Platonis sententia ideas Aristoteles praeципue verbo hac in re solenni χωρίζειν affirmat; quod enim Plato dicit ideam quamque esse αὐτὴν καθ' αὐτὴν οὐθὲ αὐτῆς, id Aristoteles fere per vocabulum χωρίζεσθαι, χωριστὸς παρὰ τὰ αἰσθητά exprimit, scilicet ideas habere essentiam a rebus sensibili- bus segregatam.¹¹⁾ Met. VII. 1. 1. XIII. 1. 1. et cap. 9. ἀμα γὰρ καθόλου τέως ποιοῦσι τὰς ἰδέας καὶ πάλιν ὡς χωριστὰς καὶ τῶν καθ' ἔκαστον. — His duobus e locis quod Plato ideas tamquam notiones generales proponit et quod iis essentiam tribuit a rebus externis segregatam, Aristoteles praecipua doctrinae de ideis resellendae argumenta repetit, quae persequi non est hujus loci; illud tamen ad idearum naturam clarius perspiciemad non inutile erit videre, quomodo Aristoteles, quae in ideis vituperat, ea ipse evitaverit in explicanda ea notione quam idearum notioni simillimam habet, in notione τοῦ τί ἦν εἶναι. Ponit autem Aristoteles τὸ τί ἦν εἶναι non tamquam notionem generalem, cuius ambitu sicuti haec res, ita aliae quoque multae contineantur, sed tamquam qualitatem individuam, quae hanc rem, ut hanc, neque aliam ullam constituant. Met. VII, 4. ἐν ᾧ ἀριστοτέλης μὴ ἔνεστι λόγῳ αὐτὸν λέγοντι αὐτὸν οὗτος

¹¹⁾ Vocabuli χωρίζειν hac vi usurpati originem ex Platone ipso repeterem possumus. Parm. 130. B. χωρὶς μὲν ἄττα τὰ εἴδη, χωρὶς δὲ τὰ τούτων αὖ μετέχοντα. Est autem χωρίζειν segregare, seorsim ponere, ponere tamquam in re ac veritate disjunctum; ad significandam eam distinctionem, quae cogitando et abstractando tantum fiat, vocabulum ὀφειλεστὶ pertinet. Cf. Tredelenburg ad Ar. de an. III, 4, 8. p. 478. sqq.

εἰ λόγος τοῦ τι ἡνὶ εἶναι ἐκάστῳ. ¹²⁾ Ac deinde isti τὸ τι ἡνὶ εἶναι non essentiam tribuit a rebus sensilibus segregatam, neque illud ponit praeter res, sed in rebus; τὸ τι ἡνὶ εἶναι est vera qualitas rei, quae est in re ipsa et esset res ipsa, nisi ὑλῆς admistione multa rei acciderent ejus naturae adeo fortuita, ut sine ejus detimento vel commutatione et accedere possent et abire (τὰ συμβεβικότα). ¹³⁾ Τὸ τι ἡνὶ εἶναι est qualitas individua, quae in re qualibet est ejusque veram naturam efficit; ἴδεα est notio generalis, cui essentia competit praetes res externas ipso subordinatas. ¹⁴⁾

¹²⁾ De explicanda notione Aristotelica τοῦ τι ἡνὶ εἶναι insigniter meruit Trendelenburgius peculiari dissertatione, quae inserta est Museo Rhenano 1828. p. 457 — 483. Locum Met. VII, 4., quem laudavimus, vernacule ita interpretatur. p. 469. In demjenigen Begriff wird für ein jedes das τὸ τι ἡνὶ εἶναι seyn, in welchem nicht das Individuelle (*αὐτό*) liegt, obgleich er das Individuelle begreift (aussagt) (λέγοντι αὐτό).

¹³⁾ Cf. Metaph. VII, 7. Ἀπαρτα τὰ γιγνόμενα ἡ φύσις ἡ τέχνη ἔχει ὑλην. δυνατὸν γὰρ εἶναι καὶ μὴ εἶναι ἐκαστον αὐτῶν. Τοῦτο δὲ ἐστὶν ἡ ἐν ἐκάστῳ ὑλη.

¹⁴⁾ Aristotelis de ideis Platonicis testimonia cum ipsa Platonis doctrina, quam ex ejus scriptis cognoscimus, consentire, pannis abhinc annis pari et ingenii acumine et doctrinae copia demonstravit A.d. Trendelenburgius, vir in hoc quaestzionum genere imprimis versatus, libro peculiari, qui supra laudatus est. not. 1.; cuius post egregiam disputationem ne verbum quidem addidisse, nisi in re haud levi, in ipsa ideae notione a viro doctissimo dissentendum mihi esse viserem. Nam primum quidem formulam Aristoteli usitatam ad designandas ideas, *αὐτὸ* ἐκαστον, explicaturus, eam proponit idearum definitionem, cui prorsus adstipulari possim. Id enim, scribit l. l. p. 39, in ea conjunctum, ut idea quam-

Jam si plures ponimus ideas — quae necessario pro notionum diversitate ponendae sunt — quaeritur, quae sit earum inter se ratio. Quod si essentiam iis tributam spectamus, ea non poterunt inter se differre; nam in eo,

quam genus et communis definitio, ad unam tamen et certam formam (έχαστοι) revocetur, ut generalis notio solummodo in cogitando sita et singularis species ex intuendo nata in unum coalescant, neutra vero restinguatur. Ac deinde p. 42. ei essentiam tribuendam esse ait et vocabulum Aristotelicum *χωρίς εἰν* eo modo interpretatur, quo supra explicatum est. Denique vero, delatus ad eam quaestionem, quae est de loco idearum, mentem esse idearum sedem ideasque esse in mente contendit. *Itaque*, scribit p. 45., *si sunt ideae a rebus se-junctae nec tamen alicubi extra eas posita: nihil restat, nisi ut menti insint eique obversentur, ita tamen ut in ea non rebus genitae et ex his haustae sint, sed praeter res et ante res conceptae tamquam divina rerum exemplaria.* Quo pertinet fortasse locus de anima III, 4. quem, sicuti de ideis loquitur, ita Platonem spectare arbitror; ubi breviter quidem, sed adstricte: διὸ οὐδὲ μεμιχθαι εὑλογον αὐτὸν (i. e. τὸν νοῦν) τῷ σώματι ποιὸς γάρ ἀν τις γιγνοῖτο, Θερμὸς ἢ ψυχρὸς καν δύγανόν τι εἴη, ὥσπερ τῷ αἰσθητικῷ· νῦν δὲ οὐδέν ἔστι καὶ εὖ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν, πλὴν ὅτι οὔτε ὄλη, ἀλλ ἡ νοητική, οὔτε ἐντελεχεία, ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἰδη. Unde quae sit vera idearum sedes intelligitur. Platonicam vero sententiam ita coercet et inflectit, ut menti idearum, i. e. ex Aristotelis sententia (cf. analyt. post. I, 11.) notionum generalium tribuat facultatem nec tamen insitam ipsam possessionem; mentem idearum concipiendarum esse capacem nec tamen datarum per se dominam; adesse idearum conditiones, modo, ut ipsae sint, agat cogitatio. — — Ita etsi verā idearum notionem, quomodo sint, Aristoteles agnoscit, tamen in ideis dijudicandis eām minus firmiter tenuisse videtur; ab hac enim aberrant plures rationes ad

quod earum quaeque exstat, aeterna et immutabilis, omnes sibi invicem prorsus pares sunt. At si id respicimus, quod cogitamus, quum ideas concipimus, et distinguentur inter se, et, quia notionum generalium naturam habent, fieri

idearum a rebus segregationem refellendam conjectae. — Locum Aristotelicum de anim. III, 4., quoniam ibi Platonis nomen non commemoratur, tum demum licebit ad Platonem referre, si quae eo continentur cum Platonis placitis aliunde vel ex Platonis libris vel ex Aristotele notis consentiunt; at, nisi fallor, e diametro potius, ut ajunt, iis opposita sunt. Etenim ideas esse in mente et in mente habere suam sedem, quid poterit aliud significare, nisi eas non absolute et per se esse, sed esse tantum, quatenus cogitantur, esse meras cogitationes. At si vera sunt, quae supra de idearum natura disseruimus (p. 7—19) et Platoni extra omnem dubitationem positum erat, et Aristoteli de Platone persuasum, ideas non esse meras notiones cogitando prognatas et in mente tantum extantes, sed absolute extare, nulla ullius vel hominis vel omnino naturae intelligentis ratione habita. Quasi evitaturus ipsam hanc opinionem, ex qua ideae unice in mente extare videantur, in ubiore illa ideae pulchri descriptione Symp. p. 211. diserte haec addit: οὐδὲ αὖ φαντασθῆσται αὐτῷ τὸ καλὸν οὗτον πρόσωπόν τι οὐδὲ κεῖται οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν, ὡς σῶμα μετέχει, οὐδὲ τις λόγος οὐδὲ τις ἐπιστήμη, οὐδὲ πονηρὸν οὐδὲ ἔργον τινί, οἷον ἐν ζῷῳ ηὔν οὐδαμῶν ηὔν τῳ ἄλλῳ. — De loco autem idearum quaerere, ut supra jam significavi, omnino non licet; nam qui eum quaerit, ei adhuc obversatur rerum externalium natura, quorum unamquamque nec concipimus, nec cogitando ponimus, nisi alterius cuiusdam ratione habita, a qua distantia quadam disjuncta sit; ab ideis vero, quoniam quaeque per se et absolute ponitur, omnis loci notio excludenda et rejicienda est; rectissime igitur Aristoteles phys. III, 4 dicit ideas esse nullibi: Ηλάτων δὲ ξώ μὲν οὐδὲν εἶναι σῶμα (int. ξώ τοῦ οὐδαμοῦ) οὐδὲ τὰς ἀδέας διὰ τὸ μηδέ πονεῖν εἶναι αὐτάς.

non potest, quin simul cum notionibus etiam logicae, quas dicunt, earum rationes animo nostro obversentur. Erit enim notio alia alii subordinata eaque inferior, haec vicissim superior, veluti hominis notio inferior erit animalis notione genera'iore, quadrati notio notione figurae, eodemque modo aliae aliis vel inferiores erunt, vel superiores.¹⁵⁾ Universum. igitur idearum ambitum, id est autem omnem earum rerum ambitum, quae sciri cognoscique possunt, si recte et ordine permeare volumus, via et ratione instituendum erit, ut modo ab inferioribus notionibus per omnes in medio positas ad superiores ascendamus, modo, ubi ad summam omnium pervenimus, ad inferiores regrediamur, et omnem cognitionis circuitum hac ratione complectamur. Hanc mentis agitationem, qua notionum inter se rationes exquirimus, ita ut a notionibus exorsi, per notiones progressi ad notiones perveniamus et in notionibus subsistamus,¹⁶⁾ Plato dialecticae artis nomine insignivit, quam

¹⁵⁾ Conferri potest Aristoteles, qui hoc ipso ex loco doctrinae de ideis refellendae argumentum repetiit. Metaph. XIII. c. 5. ὅμοιως δὲ δῆλον ὅτι καὶ εἴη ὁ Σωκράτης ἀδιος ἔσται τε πλειν παραδείγματα τοῦ αὐτοῦ ὥστε καὶ εἰδη· οἷος τοῦ ἀνθρώπου τὸ ζῶον καὶ τὸ δέπον, ἄμα δὲ καὶ αὐτοάνθρωπος.

¹⁶⁾ Rep. VI. 511. B. Τὸ τούνν ἔτερον μάνθανε τμῆμα τοῦ νοητοῦ λέγοντά με τούτο, οὗ αὐτὸς δὲ λόγος ἀπτεται τῇ τοῦ διαλέγεσθαι δυνάμει, τὰς ὑποθέσεις ποιούμενος οὐκ ἀρχὰς ἀλλά τῷ ὅτι ὑποθέσεις, οἷον ἐπιβάσεις τε καὶ δομὰς ἵνα μέχρι τοῦ ἀνυποθέτου ἐπὶ τὴν τοῦ παντὸς ἀρχὴν ἡώ, ἀφάμενος αὐτῆς, πάλιν οὖν ἔχόμενος τῶν ἐκείνης ἔχομένων, οὕτως ἐπὶ τελευτήρ καταβαίνῃ αὐσθητῶ παντάπασιν οὐδενὶ προσχρώμενος, ἀλλ᾽ εἰδεστιν αὐτοῖς δι αὐτῶν εἰς αὐτά καὶ τελευτὴ εἰς εἰδη. Phaedon. p. 101. D. E. Soph. p. 253. D. Τὸ κατὰ γένη διαιρεῖσθαι καὶ μήτε ταῦτὸν εἶδος ἔτερον ἡγήσασθαι μήτε ἔτερον ὃν ταῦτὸν μῶν οὐ τῆς διαλεκτικῆς φήσομεν

logices nostrae ei potissimum parti, qua de abstrahendo et determinando et de notionibus in suas classes et ordines partiendis agitur, prorsus aequiparare possemus, nisi una re quam maxime Platonis ars dialectica a nostra logica esset distinguenda; logicae enim arti — formali certe, quam ajunt, logicae — notiones nihil aliud sunt, nisi cogitandi objecta; Platoni vero ipsae notiones in re ac veritate existant et, tamquam ideae, essentia sunt praeditae. Hac idearum, in quibus dialectica versatur, natura efficitur, ut ipsa ars dialectica ex Platonis sententia locum multo altiore in philosophia obtineat, quam qui ex vulgari aestimatione logicae tribuitur, et ut summis laudibus ars illa praedicetur, qua idearum gradus et ordines permeantes ad summas earum perveniamus.¹⁷⁾

Quaenam autem erunt summae, aut quae erit princeps inter ideas reliquas? Hac de re ut recte judicemus meminisse oportet, quid de notione τοῦ esse Platoni visum sit. Quodsi in eo perstiterimus, ut statuamus, τὸ esse nihil aliud significare nisi rei alicujus absolutam positionem, ac propterea nihil posse cogitari simpliciter tamquam ens non addita ulla qualitatis notione, ad quam absoluta positio referatur;¹⁸⁾

ἐπιστήμης εἶναι; — Ναὶ, φήσομεν. — Οὐποὺν ὅγε τοῦτο δυνατός δοξὴ μίαν ἴδειν διὰ πολλῶν, ἐνός ἐκάστου κειμένου χωρὶς, πάντη διατεταμένην ἵκανος διαισθάνεται καὶ πολλὰς ἐτέρας ἀλλήλων ὑπὸ μιᾶς ἔσωθεν περιεχομένας, καὶ μίαν αὖ δι’ ὅλων πολλῶν ἐν ἐνὶ ξυνημμένῃ, καὶ πολλὰς χωρὶς πάντη διαισθμένας. τοῦτο δὲ ἔστιν, ἢ τε κοινωνέντες ἐκαστα δύναται καὶ ὅπῃ μή, διαιχίσειν κατὰ γένος ἐπιστασθαι.

¹⁷⁾ Phileb. p. 57. E. ἀλλ’ ἡμᾶς ἀγαίροιτ ἀν τὸν διαιλέγεσθαι δύναμις εἰ τινα πρὸ αὐτῆς ἀλλήλην ποίησιμεν. coll. Phileb. p. 16.

C. — 17. A.

¹⁸⁾ Cf. not. 6.

Platonis sententiam assequi ejusque placita recte inter se conciliare non poterimus; Plato enim ipsum τὸ esse potius pro universalis omnium rerum praedicato communique omnibus rebus qualitate habuisse videtur. Quod licet nusquam aperte ac definite dicat — nimirum non dicimus diserte, quae per se manifesta esse censemus — tamen jam eo, opinor, extra omnem dubitationem ponitur, quod saepe τὸ ὄν vel τὴν οὐσίαν juxta qualitatum notiones, veluti aequum et iniquum, pulchrum et deformē, idem ac diversum ponit, ac si pari illis natura esset.¹⁹⁾ Inde apparet, qui factum sit, ut ipsius etiam τοῦ esse ideam Plato inter reliquas ideas poneret; qua quidem posita de reliquarum idearum essentia si non sententia dicendi certe forma mutanda est. Sicuti enim homo fortis ideo est fortis, quia fortitudinis ideae particeps est, vel magnus, quia magnitudinis ideae, aliaque ejusmodi, ita etiam reliquae ideae intercedente iis cum idea essentiae communione esse dicuntur. Nihilo tamen minus omnes ideae vere sunt, siquidem ista cum idea τοῦ esse communio omnibus intercedit, neque quidquam, proposita hac idea reliquarumque ad eam ratione, praeter dicendi formam mutatam esse dicerem, nisi ipsa systematis constantia et interna congruentia labem inde traxisset. Sed abstinendum hoc loco a judicio de systema-

¹⁹⁾ Theaet. p. 186. A. Ποτέρουν οὖν τίθης τὴν οὐσίαν; τοῦτο γάρ μάλιστα ἐπὶ πάγτων παρέπεται. — Ἐγώ μὲν ᾧ αὐτὴν ἡ ψυχὴ καθ' αὐτήν ἐπορέγεται. — Η καὶ τὸ ὅμοιον καὶ τὸ ἀνόμοιον καὶ τὸ ταὐτὸν καὶ ἔτερον; — Ναί. — Τί δοι; καλὸν καὶ αἰσχρὸν, καὶ ἀγαθόν καὶ πακόν; Καὶ τούτων μοι δοκεῖ ἐν τοῖς μάλιστα πρὸς ἀλλήλα σκοπεῖσθαι τὴν οὐσίαν, ἀναλογιζομένη ἐν ἑαυτῇ τὰ γεγονότα καὶ τὰ παρόντα πρὸς τὰ μέλλοντα. — Soph. p. 254. B. sqq. ubi Plato conjungit οὐσίαν, στάσιν, κίνησιν, ταῦτο, θάτερον.

tis veritate et constantia, ubi simpliciter ac fide referre suscepimus, quae fuerit Platonis de ideis sententia.

Eximum inter reliquas ideas locum essentiae ideae assignandum esse, apertum est et manifestum, haec enim nctio τοῦ esse latissime patet et, si pro rerum praedicato habetur, omnibus, quae sunt, non solum commune est praedicatum, sed ipsae ideae omnes ad hanc essentiae ideam referendae sunt. At quominus eam summum inter omnes locum et ipsum quasi fastigium tenere arbitremur, duplex nos impedit dubitatio. Nam primum quidem, siquidem reliquae ideae ita tantum esse dicuntur, ut cum idea essentiae conjunctae concipientur, non injuria istius communio-nis caussam requiremus; quae quidem si in idea quadam continetur — neque aliud quidquam, nisi idea, mutuae idearum inter se communionis caussa esse potest — ea ipsa altiore loco, quam essentiae idea, ponenda erit. Deinde si eos locos legimus, quibus Plato dialecticae artis iter et ascensionem per eam instituendam describit, per vocabulum ἵκανόν, quo ad designandam ideam summam utitur,²⁰⁾ non tam adducimur, ut αὐτὸ τὸ εἶναι significari putemus, quam αὐτὸ τὸ ἀγαθόν; vice versa enim, ubi ipsius boni quae sit natura definire vult, nihil habet aliud, quod afferat, nisi bonum ipsum esse in se plenum, perfectum, sibique sufficiens.²¹⁾ Itaque ex universo systematis nexu, complexi, quae diversis locis Plato disseruit, non temere conjecterimus, ipsum bonum vel ideam boni esse, quae summo

²⁰⁾ Phaedon. p. 101. coll. Rep. VI. sub finem.

²¹⁾ Phileb. p. 20. D. Τὴν ἀγαθοῦ μοῖχαν πότερον ἀνάγκη τέλεον
ἢ μὴ τέλεον εἶναι; — Πάντων δή που τελεώτατον, ὃ Σωκράτες. —
Τί δαι; ἴκανὸν τὸ γαθόν; — Πῶς γάρ οὖ; καὶ πάντων
γε εἰς τοῦτο διαφέρει τῶν ὄντων. —

inter omnes ideas loco posita efficiat, ut reliquae ideae cum idea essentiae consocientur. Et hanc quidem sententiam, quam quis conjectando fortasse invenire potuerit, si ex propositis a Platone principiis philosophari perget, ipse philosophus eo reipublicae loco quem interpretari suscepimus, diserte eloquitur. *Kαὶ τοῖς γιγνώσκομένοις τοίνυν, ait, (p. 509. B.) μὴ μόνον τὸ γιγνώσκεσθαι φάνται ὑπὸ τοῦ ἀγαθοῦ παρεῖναι, ἀλλὰ καὶ τὸ εἰνδιά τε καὶ τὴν οὐσίαν ὑπὲκείνου αὐτοῖς προεῖναι, οὐκ οὐσίας ὅντος τοῦ ἀγαθοῦ, ἀλλ᾽ επὶ ἐπέκεινα τῆς οὐσίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος.* Jam ut sint reliquae ideae, ita ab idea boni effici putabimus, ut eas per ideam boni cum idea essentiae conjungi censemus.²²⁾ Atque eodem modo, quo idea

22) Non defuturos esse existimo, qui hanc sententiam cum idearum notione supra proposita p. 14. ita comparent, ut alteram utram tollendam esse contendant; aut enim ideis per se essentiam obtingere, neque aliunde iis repetendam esse, aut si per ideam boni demum tribuatur, ideas dici non posse sua ipsarum natura esse; neque credibile esse, adeo sibi repugnasse Platonem, ut et esse per se et non esse per se ideas statuerit. Quae quoniam speciose disputantur, paucis, quid valeant, examinari oportebit, ne universam nostram sententiam labefactare videantur. Ac primum quidem ideas a Platone proponi tamquam notiones, quae sua natura sint et existant, ita manifesto ex locis et Platonis et Aristotelis supra collectis (p. 11—19.) apparet, ut addubitari non liceat, etiamsi aliae sententiae et ipsae Platonicae vel videantur adversari, vel vere adversentur. Essentiam in illis idearum descriptionibus Plato non pro praedicato, vel qualitate rei, sed pro absoluta positione videtur habuisse, si quidem natura ipsius pulchri non in eo consistit ut pulchrum sit et sit, sed ut tamquam pulchrum absolute sit. Nec tamen properea infitiandum est, eum non satis tenuisse hanc veram

boni reliquis ideis tribuit, ut sint, menti quoque cognitionis est caussa; nam si meminerimus, quod infra accuratius erit demonstrandum, animam ($\tauὴν ψυχὴν$) in idearum numero esse habendam, idearum cognitio nihil erit aliud, quam animae cum reliquis ideis commercium. Idea igitur boni sive ipsum bonum, $αὐτὸ τὸ ἀγαθόν$, non cogitatione

essentiae notionem, quam in illis amplexus esse videtur; nam aliunde ex ipsis Platonis verbis demonstratum est, p. 23. sq., essentiam a Platone in numero qualitatum haberi. Perperam id Platonem statuisse non negamus, sed non arbitramur propterea a Platone alienum esse, quia probari nequeat, neque ex sententiae veritate et interna constantia dijudicandum censemus, utrum Platonica sit nec ne. Quid quod illa essentiae notio adeo est sua natura ambigua, ut philosophos summae subtilitatis laude celebres in errorem induxerit. Ex aliis multis Kantii exemplum in memoriam revocare juvabit, qui quum uno loco accuratissime expōnat, $τὸ εἶναι$ non esse praedicatum rei, sed ejus absolutam positionem (Krit. der rein. Vern. p. 106.), nihilo tamen minus alio ejusdem libri loco $τὸ εἶναι$ ita in qualitatum numerum referat, ut tamquam speciem in categoria qualitatis ponat affirmationem, id est autem positionem. Et eodem quidem modo Plato in notione essentiae concipienda sibi non constitisse videtur. Quod si concessum est, uti facile concedetur, reliqua, in quibus apertior cernitur repugnantia, interna quadam necessitate inde consequuntur. Nam quoniam ipsius essentiae idea posita est, reliquae ideae ita demum sunt, si cum hac idea conscientur, et quaerenda est deinde hujus communionis caussa, quae in idea boni invenitur. Ita manifesta illa repugnantia, quod ideae et esse per se et non esse dicuntur, a levi, ut cuiquam videatur, errore, commisso in definienda essentiae notione prodiit; quae quidem notio dici omnino vix potest, quantas in philosophando turbas ac dissensiones a Parmenide ad nostram usque aetatem moverit.

tantum conceptum, sed vere ac per se exstans, simplex et semper tale, quale est, reliquarum idearum et cum essentia et cum animae natura commercium instituit, efficitque, et ut sint, quae sunt, et ut cognoscantur, quae cognoscantur.

II.

Satis his explicatum esse arbitror, quid Plato ideae boni nomine significaverit; qua quidem in expositione si cui longior fuisse videar, id peculiari naturae et difficultati rei velim tribuatur; idea enim boni ita est in intimis quasi recessibus systematis Platonici sita, ut nisi per longiorem viam fundamentisque systematis penitus perspectis ad ejus naturam et notionem inveniendam pervenire nequeamus. Longe vero alia ratio est ejus notionis, qua deum concipi mus. Sicuti enim omnino apud gentes ac populos religio deorumque cultus multo est philosophiae studio antiquior, ita etiam singuli quique homines diu ante dei vel deorum notionem, licet satis obscuram et falsam, conceptam habent, antequam philosophari incipient, et inter ipsum philosophandum non invenitur primum dei notio, sed quae jam concepta erat immutatur, corrigitur, quatenus reliquis platicis philosophicis repugnat, retinetur, quatenus cum iis conspirat, suumque inde in universo notionum systemate locum accipit. Quare si quaerimus, quam Plato conceperit dei notionem, non ex ipso systematis principio ordiemur, ac si ex eo interna quadam necessitate haec notio progenita sit et pronata, sed potius videndum erit, quae in vulgari deo opinione, recepta illa e popularium suorum et aequalium sententiis, Plato, ut philosophus, immutaverit, et quo systematis sui loco notionem dei posuerit. Ac primum quidem vix est, quod moneamus, Platonem non

cum popularibus suis multos deos statuisse, sed unum numen divinum; licet enim passim non solum in universum plures dei commemorentur, verum etiam vulgata deorum apud Graecos nomina inveniantur,²³⁾ tamen ubi serio vereque philosophice disserit, remotis omnibus fabularum ludis et poeseos involucris, nonnisi de uno deo loquitur.²⁴⁾ Nec minus, quam in statuenda unitate, tum etiam Plato a vulgatis erroribus recedit, ubi de ipsa divini numinis natura agitur; acerbo enim et irato prorsus animo ea fabularum commenta persequitur, quae deos mendaciorum, fallaciae, injustitiae aliorumve scelerum humanorum criminibus inquinent, et carmina omnia, quae talia contineant, poetasque, qui talia componant, procul abesse jubet a perfecta illa, cuius imaginem descriptis, civitate.²⁵⁾ Liberum et exemptum omnibus istis vitiis Plato numen divinum esse statuit, alienum a mendacio malove dolo, verax et perfecte justum. Quae sit dei natura vel non posse inveniri humana ratione,²⁶⁾ vel difficile esse inventu;²⁷⁾ attamen, ubi quaeritur, qua de caussa deus mundum creaverit, sine

²³⁾ Tim. p. 40. sqq. Phaedr. p. 247. sqq. al.

²⁴⁾ Soph. p. 265. C. Cf. Ackermann das Christliche im Plato und in der Platonischen Philosophie. (Hamb. 1835.) p. 42. sqq.

²⁵⁾ Cf. Rep. II, 380. D. usque ad finem libri et libri decimi partem priorem.

²⁶⁾ Phaedr. p. 246. C. — — οὐτε ἴδούτες οὐτε ίναρῶς νοήσαντες θεόν. —

²⁷⁾ Notissimus est et a patribus ecclesiasticis praecipue celebratus locus Timaei Platonici p. 38. C. τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔγον ταῦτα εἰς πάντας ἀδύνατος λέγειν. Cf. Ackermann, I. I. p. 40.

omni dubitationis specie deum esse bonum et propter id ipsum, quia sit bonus omnisque invidiae expers, mundum creavisse affirmat. Λέγωμεν διὸ δὲ ἵν τινα αἰτίαν γένεσιν ναι τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν . ἀγαθὸς ἡν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος. Tim. p. 29. E. ²⁸⁾) — Quae quidem omnia si complectimur illudque insuper adjicimus, immortalitatis notionem accuratius etiam et distinctius a Platone esse servatam, quam fieri vulgo solebat, Plato nobis videbitur numen divinum cogitasse tamquam ens aeternum et immutabile, perfecte et absolute bonum. Id si recte ex Platonis sententia statuimus, quid erit discriminis inter deum et ideam boni? Dei natura in eo cernitur, ut bonus sit eamque bonitatem immutatam, nullo viṭii vestigio inquinatam retineat, neque quidquam nisi perfectam bonitatem cogitamus, quum deum concipimus; atqui idea boni et ipsa est ens aeternum et immutabile, cuius propria qualitas in eo continetur, ut bonum sit; idea boni est ipsum bonum essentia praeditum. Quare nulla ratione deus ab idea boni distingui poterit sumumque inter ideas locum non alia obtinet, nisi idea dei, sive, quod Platonico sensu idem esse debet, ipse deus. ²⁹⁾)

Quod ex ipsa natura dei ideaque boni collegimus, nihil inter utrumque discriminis esse, inde praecipue confirmatur, quod praeclare inter se consentit ea, quae utrique et divino numini et ideae boni tribuitur, vis et efficacia. Etenim deum Plato auctorem dicit omnium, quae fiunt et gignun-

²⁸⁾ Cf. Rep. II, 379. B. Οὐκοῦν ἀγαθὸς ὁ γε θεὸς τῷ ὄντι τε καὶ λεκτέον οὔτοι.

²⁹⁾ Ita ἡ τοῦ ὄντος ἴδεα, Soph. p. 254. A. manifesto idem est ac τὸ ὄν Rep. V, 477. B.

tur; ³⁰⁾ per ideam autem boni effici, ut ea sint, quae sunt, et cognoscantur, quae cognoscuntur; quae si nimirum ad idem, sive deum dicere malis sive absolute bonum, referenda sunt, deus a Platone concipitur tamquam omnium, quae sunt, auctor ut sint, et quae fiunt, ut fiant. Sublimis supra idearum omnium multitudinem elatusque majestate et potentia supra ipsam essentiae ideam deus, quasi vinculum idearum reliquarum, conjungens eas cum essentia et cum mentis natura ad intelligendum apta et ut sint et ut cognoscantur efficit, idemque, admovens ideas materiae infinitae omnisque modi ac mensurae experti, rerum sensibilium totiusque mundi auctor est. Cognitionis caussa simul sumnum est cognitionis objectum summumque, quod homini ad imitandum proponatur, exemplum. Deum imitari vitae humanae est finis, ³¹⁾ nam qui divino numini similis factus est, is non potest non bonus esse. **Ipse deus est idea boni.**

III.

Nolui hucusque quum quae de Platonis idea boni et deo Platonico statuenda esse videantur exponerem, ea ar-

³⁰⁾ Soph. p. 265. C. Ζῶα δὴ πάγτα θνητὰ καὶ φυτὰ ὅσα τὸ ἐπὶ γῆς ἐν σπερμάτων καὶ φύσῶν φύεται καὶ ὅσα ἄφυχα ἐν γῇ ξυνίσταται σώματα τεκτὰ καὶ ἀτηκτα, μῶν ἀλλού τινὸς ἢ θεοῦ δημιουργούντος φήσομεν ὑπερέον γενέσθαι πρότερον οὐκ ὄντα; — Quod mala ad deum auctorein referri non posse Plato contendit (Rep. II, p. 380. B. κακῶν δὲ αἴτιον φάγαι θεόν τινι γίγνεσθαι, ἀγαθὸν ὄντα, διαμαζετέον πατὴ τρόπῳ) non repugnat illi sententiae; deus omnium quae fiunt auctor prohibetur, sed quominus omnia reddit bona ad suae naturae similitudinem impeditur necessitate illa, qua inclusus est et coercitus. Tim. p. 47. E. 68. E. sqq. Ackermann l. l. p. 51.

³¹⁾ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. Theaet. p. 176. A. Cf. Rep. X, 613. A. (VI, 501. B. C.) —

gumenta respicere, quibus C. Fr. Hermannus usus est, ut alteram ab altero cante distinguendam esse doceret; mentuens ne ratiocinandi nexu interrupto ex refutatis illis argumentis non augeretur, sed deminueretur propositae disputationis vis ac fides. Jam vero ubi ad ejus finem per ventum est, argumentationem Hermanni deinceps pertractabo; qui quamquam praecipue nititur in notionibus ideae, mentis ac dei accurate definitis interque se comparatis, tamen et alia quaedam adjecit, neque illa ita distinxit, ut omnem ratiocinationem ad haec quasi capita redigeret; qua de causa satius videtur, singula quaeque, quae Hermannus protulit, repetere et eodem, quo ipse posuit, ordine examinare.

Et primum quidem, Hermannus inquit, *Deum ipsum inter ideas referri a Platone non potuisse, vel inde sequitur, quia Deum intueri ideas ad earumque exemplum mundum creasse statuit.* Tim. p. 28. A. 52. A. Parm. p. 134. C. Phaedr. p. 247. B. (p. 4. sq. Jahn. p. 626.) — Vellem Hermannus in disquisitione notionis philosophicae ab eorum locorum usu abstinuisse, quibus re vera probari nihil potest, quoniam in iis non tam philosophum, quam poetam Platonem audimus; huc resero locum e Phaedro allatum, quem, quoniam de deis, non de deo ibi agitur, poetico colore imbutum esse manifesto appetet. Recte reliquos locos Hermannus in suum usum convertit, ex quibus intelligitur, id quod tritum est ac vulgatum, deum e Platonis sententia intueri ideas. At verene inde sequetur, ut deus inter ideas referri nequeat? Ponamus, veram esse, quam supra exposuimus, idearum notionem, esseque et deum et ideas entia, quae per se absolute existent, num quid impedit, quominus inter ea ratio quaedam intercedat et respiciat alterum ad alterum? Atqui in ipsa hac dei ad ideas ratione illud continetur, ut deus ideas cognoscat, perspiciat,

intueatur, ita ut neutiquam sibi ipse repugnet, qui deum et esse ideam et cognoscere ideas contendat.

Mittimus, pergit Hermannus, *quod in libro Reipublicae decimo (p. 597.) ipse a Deo creatas esse ideas narrat; id enim a tota ipsius doctrina, quam alibi proposuit, adeo alienum est, ut decimum illum librum longissimo temporis intervallo a reliquis disjunctum nec nisi sero additum esse jure nobis statuere videamus; sed etiam si aeternae sint ex ipsius sententia ideae, Deum tamen inter illas esse non sequitur, quae nec materiam, quamvis et ipsam aeternam continant.*

Vereor, ut ad Platonem defendendum quidquam lucremur, si decimum de republica librum, quo a sua de ideis doctrina ipse desciverit, longo temporis intervallo a reliquis sejunctum esse statuamus; sive enim aliquot annis prius sive posterius illum librum composuit, profecto tamen, si qua in eo cernitur repugnantia, nihilo minus sibi non constitut, et eo quidem tempore suam migravit ipse sententiam, quo eum doctrinam de ideis accuratius pertractasse altiusque ejus fundamenta jecisse aliunde consentaneum est. At tantum abest, ut placitis Platonicis repugnent, quae libro decimo reipublicae legimus, ut praecclare cum iis conspirent. Ideae, quamquam sunt ὄντως οὐσαι, tamen a Platone ita dicuntur esse, ut cum idea essentiae conjunctae esse debeant; cuius quidem conjunctionis causa ut in sexto reipublicae libro ad ideam boni, ita in decimo ad deum refertur, deusque propterea ideas creavisse dicitur, quod per eum cum essentiae idea conjunctae sunt. — Materiae autem exemplum, quod Hermannus ita attulit, ut ex aeternitate naturae nequaquam sequi demonstret, esse aliquid inter ideas referendum, prorsus importune adhibuit; quae-libet enim idea certam quandam et definitam qualitatem exprimit; materiae autem propria ac peculiaris natura in

eo cernitur, quod omni qualitate caret, ut quovis modo pariter definiri possit.³²⁾

Progreditur deinde Hermannus ad ipsam idearum notionem proponendam, quam miror a viro Platonicorum librorum perquam gnaro sic potuisse concipi. *Neque ullum locum, ait, inveniri posse arbitror, unde aliud esse ideas apparat, nisi notiones menti propositas.* Itane oblitus erat vir doctissimus, Platoni absurdissimum videri, si qua notio nihil aliud sit, nisi id ipsum, notio, neque referatur ad aliquid, quod revera sit? oblitus erat, Platonem ubivis omni modo affirmare et asseverare, ideas esse; per se et absolute esse, et esse illud, quod vere est ὅντως ὅν αὐτὸν οὐδὲ αὐτό? Sed nolo repetere, quae supra de idearum natura uberior exposita et e Platonis libris exscripta sunt; quae nisi probaverint lectoribus, idearum naturam non eo unice contineri, ut notiones sint, sed accedere simul τὸ εἶναι, τὴν οὐσίαν, omnis nostra argumentatio funditus concidit.

Hanc suam idearum definitionem ad dei notionem adhibens Hermannus deinde haec habet: *Dei autem natura tantum abest ut in notione posita sit, ut tota potius mentis locum obtineat, neque magis haberi idea possit, quam nostro loco sapientiam bonum ipsum haberi Plato concessit; quamvis enim arcta conjuncta, tamen diversa esse oportet, quorum ea indoles est, ut alterum alteri subjectum sit, ut bonum sapientiae, menti divinae ideae. Quatuor enim rerum genera constituit Plato (Phileb. p. 23. D — 27. B): finem sive formam, infinitum, quam materiam dicere liceat, genitum ex utriusque conjunctione ortum, vim denique genitricem*

³²⁾ Tim. p. 50. . . διὸ καὶ πάντων ἐκτὸς τοῦ εἰδῶν εἶναι χρεῶν τὸ τὰ πάντα ἐπεξόμενον ἐν αὐτῷ γένη,

ab utroque separatam, quam mentem dicit, tam divinam, quam humanam; homo enim veluti parvus mundus atque eadem utriusque natura (Phileb. p. 29. sqq. Politic. p. 274. E. Tim. p. 41. C.), ita tantum ut divina mens pura sit neque ullis terrenorum elementorum perturbationibus inquinata. At mentis utriusque idem officium: ut veritatem in ideis propositalm contempletur ad ejusque normam actiones suas dirigat; quod etsi multo perfectius divina, quam humana mens facere possit, neutra tamen quidquam praeterea cum ideis commune habet. Nam haec primi generis sunt, unde finis quidem modulusque rebus omnibus petitur, sed accedere debet, qui petat; nec, quamlibet verum sit neque mentem quidquam nisi propositis ideis efficere posse, neque ex ideis quidquam nisi mentis opera fieri, ideo vel ideam boni eandem cum vi divina, vel mentem inter ideas esse sequitur. Longe diversa utriusque natura; illud immobile, negotiorum omnium curarumque expers, sola essentia contentum (Tim. p. 28. Symp. p. 211. etc.); hujus vis in sempiterno motu cernitur (de Legg. X, p. 894. sqq. Phaedr. 245. C. coll. Tim. p. 30 B. Phileb. p. 30. C.), quem etsi a nulla externa vi accipiat, suapte tamen indole ad agendum compellitur; sintque licet caussae rerum omnium in ideis positae, effectum tamen habere non possent, nisi miscendi generandive caussa mens sive divina sive humana accessisset.

Primum quod Hermannus ex Philebo argumentatur, diversam esse dei et idearum naturam, logica ratione refutari potest. Notum est enim, complures notiones unam notam habere posse communem, in reliquis autem distingui, ita ut propter illam eodem genere contineantur, propter hanc sibi invicem opponantur. Et id quidem cadit in deum reliquasque ideas; etenim illud omnibus est commune, quod certam quandam definitamque habent qualitatem ac

tales manent, quales sunt; et propter hanc naturam omnino pro ideis habentur; nihilo tamen minus propria sua ae peculiari natura alia idea ab aliis ita potest differre, ut illa ad genus caussae, hae ad modi finisque genus referantur.

At deus mentis locum obtinet, et propterea pro idea haberit nequit. Mens enim cognoscit ideas, ideae cognoscuntur a mente, ideoque manifesto alterum ab altero distinguuntur. — Speciose hoc, non vere disputatur. Platoni enim, sicuti omnibus antiquis philosophis, hoc erat persuasissimum, eandem esse naturam ejus, qui cognoscit, et ejus, quod cognoscitur, nec posse nisi pari par cognosci;³³⁾ quare anima, siquidem aeterna cognoscit, ipsa est immortalis,³⁴⁾ siquidem concipit ea, quae mutari nescia talia manent, qualia sunt, suam perpetuo tuetur naturam, et

33) Cf. Aristot. de anim. I, 2, 7. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ Πλάτων ἐν τῷ Τιμαιῷ τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ· γιγνώσκεσθαι γὰρ τὸ ὅμοιον τῷ ὅμοιῳ. Simpl. ad h. I fol. 6b. Sext. Emp. adv. Math. I, 13, 303. ὁ δὲ ἀπὸ φυσικῆς ὁμοιόμενος γιγνώσκων ὅτι ἀρχαῖον ὄλως τὸ δόγμα ἔστι, τοῖς ὁμοίοις τὰ ὅμοια γιγνώσκεσθαι, ὅπερ ἀπὸ Πυθαγόρου δοκοῦν κατελήλυθένται πεῖται μὲν καὶ ταῦτα Πλάτων ἐν τῷ Τιμαιῷ, εἰρηται δὲ πολὺ πρότερον παρ' αὐτοῦ Εὐπεδονέλεους. ibid. VII, 92. Boeckh. Philol. fragm. p. 191. — Eadem sententiam tamquam axiomā proposuit Spinoza Eth. I. Ax. V. Quae nihil cum se invicem commune habent, etiam per se invicem cognosci nequeunt.

34) Phaedon. p. 76. D. εἰ μὲν ἔστιν ἡ θυμοῦμεν ἀεὶ, καλὸν τε καὶ ἀγαθὸν καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη οὐσία καὶ ἐπὶ ταῦτῃ τὰ ἐκ τῶν αἰσθήσεων πάντα ἀναφέρομεν, ἐπάγχοισαν πρότερον ἀτενθίσκοντες ἡμετέραν οὖσαν, καὶ ταῦτα ἐπειρή ἀπεικάζομεν, ἀναγκαῖον, οὕτως ὅπερ καὶ ταῦτα ἔστιν, οὕτω καὶ τὴν ἡμετέραν ψυχὴν εἶναι καὶ ποιεῖ γεγνογένται ἡμᾶς· οὐ δὲ μὴ ἔστι ταῦτα, ἄλλως ἀν δὲ λόγος

quoniam ideas intuetur, ipsa in idearum numero habenda est. Non temere ex communi omnium veterum Graecorum philosophorum opinione nos haec conjectisse, Plato ipse testis est; illud enim *ταῦτάν* et *θάτερον*, quarum missione animam mundanam, itaque etiam ejus imaginem, animam humanam efformari ait Tim. p. 35 — 37, ad ideas pertinere, cuivis Platonis lectori ex dialogo sophista notum esse oportet.³⁵⁾

Quod autem mentem diximus in idearum numero habendam esse, gravissimum in nosmet ipsi hostem excita-
visse videamus. Quid enim? Nonne rectissime Hermannus monet, ideas esse immutabiles, negotiorum omnium curarumque expertes, sola essentia contentas, mentis autem vim in sempiterno motu cerni? Quomodo ex hac difficultate nos expediemus? Utrum ipsum Platonem a sua sententia descivisse oblitumque esse dicamus aeternae immobilisque, quam ideis tribuerat, naturae, an quod mentem inter ideas esse statuimus, falso nos statuisse concedamus? Hoc fieri non potest; ipso enim Platone teste usi sumus; illud non magnopere curamus, quoniam non id agimus hoc loco, ut philosophiam Platonis ita examinemus, ut quam vera sit et sibi constans quaeramus, sed unice ut demonstremus, quae fuerint et qua ratione inter se cohaereant ejus placita. Ac motum quidem a Platonе ideis revera esse tributum, ex eodem dialogo sophista,

οὗτος εἰδημένος εἶναι; ἀλλ' οὐτως ἔχει, καὶ τοη̄ ἀνάγκη ταῦτά τε εἶναι καὶ τὰς ἡμετέρας ψυχὰς πόλιν καὶ ἡμᾶς γεγονέται, καὶ εἰ μὴ ταῦτα οὐδὲ τὰδε; Τπερφνός, ἔφη, ὁ Σώκρατες, δοκεῖ μοι ἡ αὐτὴ ἀνάγκη εἶναι καὶ εἰς πολόν γε παταφεύγει ὁ λόγος, εἰς τὸ δυοῖς εἶναι τὴν τε ψυχὴν ἡμῶν πόλιν γενέσθαι ἡμᾶς, καὶ τὴν οὐσίαν ἥν-σὺν τοῦ λέγεις.

35) Überius hac de re disseritur in tertia parte ejus disputationis, quae est de animae mundanae apud Platonem elementis.

quem modo dixi, doceri possumus. Quo quidem e libro ne locos quosdam, quasi dicta probantia, ut ajunt, decerpere videar, qui seorsim spectati sententiam propositam confirmant, eo vero, quo scripti sunt, nexu nihil probare possint, totius dialogi, quatenus huc pertinet, argumentum et ordinem breviter exponam, ut inde de eorum, quae contendit, veritate, facilius rectiusque judicari possit.

Plato in dialogo sophistae nomine inscripto notionem sophistae quaerens, quoniam iste adulterinus philosophiae imitator fallaci quadam sapientia superbis vel ipse credit, id esse, quod non est, vel aliis certe hoc persuadere studet, ad inquirendum id, quod non est, τὸ μὴ ὄν, deducitur. Soph. p. 237. A. Qua quidem disquisitione gravissimis implicatur difficultatibus; etenim id, quod non est, appareat cogitari non posse nisi exhibitis notionibus, quae ad essentiam pertineant; at quidquid ad essentiam pertinet, ita est a non-ente alienum, ut ad id referri nullo modo queat. Itaque quia, qua unice ratione cogitari non-ens posset, ea illud cogitari non licet, omnino nec cogitari, nec conceipi, nec nominari potest, ac tamen his ipsis enuntiatis nominatur, concipitur, cogitatur (p. 237—241. C.). His victus ac repulsus difficultatibus Plato ad τὸ ὄν sese convertit, ut videat, utrum omni a parte illud clarum sit et perspetuum, an similibus et haud levioribus fortasse difficultatibus prematur, quam τὸ μὴ ὄν. Ac re vera instituta disquisitione rem ita se habere appetet. Nam si qui vel duotentia, vel, quod Parmenidi placuit, unum ens esse dicunt, ii quoniam distinguunt illa duo vel illud unum ab ipsa essentia, tria vel duo ponere coguntur; quam concludendi rationem si longius persequimur — quomodo in dialogo Parmenidis nomine inscripto a Plátone factum esse videamus p. 142. D. E. — eo perveniemus, ut non unum vel

duo, sed infinita numero entia ponenda esse intelligamus (p. 243 — p. 245.). Leviter deinde ii perstringuntur, qui nihil esse contendunt, nisi quod oculis conspicere, manibus tractare possint; facile est enim demonstrare, etiamsi quis sensuum judicia plurimi faciat, tamen ei agnoscendum esse et concedendum, praeter ea, quae sensibus concipiuntur, esse alia quaedam, quae nihilo tamen minus in re ac veritate sint (p. 246 — 248.). Longissime ab his, qui sensuum testimoniis unice confidunt, ii remoti sunt, qui notiones quasdam rerumque species immutatas immobilesque esse statuunt, quae re vera sint et cognoscantur; quorum de sententia, quae Plato monet, propterea graviſſima sunt, quod illa vel ipsa Platonica vel Platonicae simillima certe videatur esse. Si cognoscuntur ideae, Plato iis objicit, profecto aliquo modo afficiuntur; cognoscendo enim, quia is agit, qui cognoscit, afficiatur et moveatur oportet id, quod cognoscitur; quare aut cognosci non posse statuendum est, ut immobilis natura servetur, aut mobilia dicenda sunt, ut cognosci possint; ac vicissim si eas mobiles esse concedimus, ita tollimus essentiae stabilitatem et constantiam, ut, quoniam esse dici nequeant, ne cognosci quidem possint. Itaque ut notiones illae cognoscantur, utrumque iis tribuendum esse, et motum et quietem; at neque alterum cum altero conjungi posse — quoniam, quod non moveatur, in eodem persistat loco et, quod non persistat, moveatur — neque alterum utrum enti per se competere videri, quod ab utroque diversum sit (p. 248 — 250.).

Ista et τοῦ μὴ ὄντος et τοῦ ὄντος investigatione ita sumus extremis difficultatibus impediti, ut magnopere sperremus, tandem aliquando philosophum ex densissima, in quam deducti sumus, caligine nos esse reducturum et aliquantum certe lucis admoturum. At longe aliter Plato. In eo

enim acquiescens, quod ipsum ens, si quis cognoscere velit, non levioribus difficultatibus obscuretur, quam non-ens, ad rem prorsus, ut videtur, alienam transit; etenim quae sit notionum mutua inter se ratio et quomodo altera cum altera vel possit, vel nequeat conjungi, exponit. Quo quidem loco nisi temere egresso arbitrabimur Platonem, summum illum dicendi scribendique artificem, quaerendum erit, quo vinculo ista posterior pars cum priore ita cohaereat, ut ad eundem finem utraque spectet. Evidem hunc fere nexum invenisse mihi videor. Cognitio non in notionibus seorsim positis consistit, sed conjunctis demum et ad se invicem relatis perficitur; quare qui notionum aliam ad aliam referri easque inter se conjungi posse negat, is omnem tollit cognitionem, neque opus est eum redarguere, quum ipse se satis superque refellat; neque vero magis omnes notiones cum omnibus conjungi licebit, nisi absurdissima quaeque pro veris proferri velimus. Arte potius opus erit, ut conjungamus eas notiones, quas conjungi licet, disjungamus, quae non concinant; arte opus erit dialectica. Ejus exemplum quoddam Plato proponit tractatis quinque notionibus, quae latissime patent, notione essentiae, quietis et motus, identitatis et diversitatis. Essentiae notione apparent diversam illam quidem esse a reliquis quatuor notionibus, sed quodammodo tamen cum iis conjungi, quoniam motus et quies, identitas et diversitas non ipsum quidem τὸ esse sunt, sed sunt tamen, id est autem, commercium habent cum essentia; ac similia de reliquis notionibus docentur (p. 251—260.). — Logice haec exposuimus de notionum rationibus, quasi re vera de meritis notionibus ageretur; at Platonis scimus notiones ipsas, quia cogitantur, essentiam habere adjunctam (cf. p. 10. sqq.), idque moneri hac ipsa in re poteramus, quod vocabulis commu-

nionis, participandi similibusque utitur, quae de rebus apte usurpantur, non item de notionibus. Itaque quam proposuimus tamquam notionum rationem, quae cogitando unice conficiatur, ea concipienda potius est tamquam rerum communio ac conjunctio. Quoniam enim notionibus tribuimus cum Platone, ut sint, omni etiam earum inter se rationi essentia adjungenda est. Quod igitur diximus notionem essentiae referendam esse et ad motus et ad quietis notionem, ita est mutandum, ut ipsum τὸ ὄν conjunctum esse statuamus et cum quiete et cum motu; neque amplius verendum est, ne absurdum quid proferamus, si quietem et motum pariter et simul essentiae tribuerimus; vere enim hoc et fieri posse et debere jamjam apparuit.

Quomodo hac expositione illa de ente et non-ente disquisitio absolvatur, facile est videre; nostra hoc loco nihil refert, haec accuratius ad finem persequi. Id enim assecuti sumus, cuius caussa haec exposuimus. Manifestum est enim, Platonem ideis re vera tribuere, ut moveantur, simulque intelligitur, qua ratiocinatione ad hanc sententiam, quae ab idearum natura alienissima esse videatur, invitus quasi adactus sit. Quid quod de ipso ente Plato haec scribit Soph. p. 248. E. Τί δαὶ πρὸς Διός; ὡς ἀληθῶς κίνησιν καὶ ζωὴν καὶ ψυχὴν ἢ ὁρδίως πεισθησόμεθα τῷ παντελῶς ὄντι μὴ παρεῖναι, μηδὲ ζῆν αὐτῷ μηδὲ φρονεῖν, ἀλλὰ σεμνὸν καὶ ἀγριον νοῦν οὐκ ἔχον ἀκίνητον ἐστὸς εἶναι;³⁶⁾ Haec qui legerit, et a Pla-

³⁶⁾ Argumentum dialogi sophistae copiose et maximam partem accurate exposuit Ritterus in historia philosophiae (II. p. 244—256. ed. I.), sed neque illud satis distincte et aperte significavit, lectorem in fine prioris partis, qua de ente agitur, prorsus in dubio relinquí (p. 250.), quia de ente praedi-

tone ei quod absolute per se est animam mentemque tribui reputaverit, non dubitabit, opinor, vice versa ipsam mentem ex Platonis sententia inter ideas referre. Quodsi vere contendimus, mentem a Platone in ideis haberi, nihil amplius valebit Hermanni ratio, qui propterea deum inter ideas referri posse negat, quod ad mentis genus pertineat; immo vero, propterea, quod mentis naturam habet, deus in idearum numero habendus est.

Quod igitur eam vim τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα tribuit, Hermannus deinde scribit, ut omnia inde vitam atque vigorem accipient, eamque cuiuslibet boni status caussam ait (Rep. VII. p. 517. B. Cf. Phileb. p. 64. C.), non ita accipiendo est, ut ipsi quasi vis quedam creatrix insit; quod si foret, nec philosopho opus esset, qui ad ejus normam rem publicam constitueret, vitamque humanam regeret; quod autem in republica philosophus, idem in mundo Deus, neque aliud Plato dicit, nisi ita tantum vel mundum a Deo, vel rempublicam a phi-

canda sunt, quae conjunctim de eodem praedicari nequeunt, ut et quiescat et moveatur; neque explicuit, quomodo altera dialogi pars, qua de mutuis notionum rationibus disputatur, cum priore cohaereat ac dubitationibus illic motis finem faciat. Etenim quod et motus et quies esse dicuntur, vel notio τοῦ εἶναι ad illas notiones refertur, Platoni, qui notionibus essentiam tribuit, hōc significat, ipsum τὸ ὄν conjunctum esse et cum quiete et cum motu. Quod si ita est, ut est, non amplius in eo haerendum, quod ipsum τὸ ὄν, ut cognosci possit, et manere et moveri dicendum est. — Ceterum ex ipsa, quam dedimus, sophistae expositione apparebit, quomodo a Trendelenburgio dissentiamus, qui haud scio animis memor recentissimae philosophiae a Platone in dialogo sophista ideas proponi dicit *ut contraria notionis vi subigentes, ut contravriorum, quibus per se ab altero ad alterum dialectice jaciemur, consensum vel unitatem* (de ideis etc. p. 42.).

losopho bene constitui posse, ubi ab idea boni quasi formam atque exemplum operis repetant (*Rep. VII.* 517. 534. B.). Idem enim in hanc, quod in reliquas ideas cadit, ut illarum tantum accessione sive quo alio vocabulo uti in hac re oporteat, singulis rebus suae cinq̄ue qualitates accedant; utque per altitudinem alba, per nigritatem nigra, ita bona quoque non nisi per bonitatem stant, neque aliter hanc iδέαν τοῦ ἀγαθοῦ accipiendam esse inde appetat, quod et ipsum bonum appellat *Plato* et in mundo intellectuali collocat (*Rep. VII.* p. 517. B. *Tim.* p. 30. C. sqq.) ubi solae ideae versantur, quoque ipsum coelestem imperatorem Jovem ascendendo demum pervenire in *Phaedro* legimus (p. 247. B.). —

Quae Hermannus de idea boni Platonem dicentem facit, ea Platonem re vera statuere nemo negaverit; at non ista solum, verum multo etiam majora de ea affirmat, et in iis potissimum peculiaris vis $\tauῆς τοῦ ἀγαθοῦ$ iδέας quaerenda erat; profecto enim ejus demum accessione bonum sit, quidquid bonum appellamus, verum non modo ut bonum sit, sed omnino ut sit aliquid per ideam boni effici apud Platonem legimus, et quia hanc vim creatricem ei ideae tribuit, propter id ipsum eam nihil aliud nisi numen divinum significare jure nostro statuisse nobis videmur. — Quod autem Hermannus dicit, si idea boni ex Platonis sententia idearum vel mundi creatrix esset, tum, quia nimis omnia bona jam per se futura essent, nihil ad agendum philosopho relictum iri: ea de re cum Platone licet disputet, manifestam autem loci sententiam detrectare nolit. Ac facile est videre, si quidem Plato illa sententia posita sibi ipse repugnare censatur, nihil nos lucraturos, si creandi caussam non in idea boni, sed in deo ponamus; sive enim ipsi ideae boni creandi vis insit, sive deus ab idea boni creandi consilium rationemque repetierit, pariter, si unice hanc caussam respici-

mus, ³⁷⁾ omnia bona esse oportebit. — Locum Phaedri, quem sub finem Hermannus eo consilio attulit, ut inde ideas sublimi supra deum altitudine elatas esse demonstraret, eadem de causa detrecto, ex qua supra (p. 32.) similem ejusdem dialogi locum rejiciendum censui; appareat enim illo loco, ubi pulcherrima de idearum contemplatione fabula narratur, deos, tamquam duces hominum, diversa tantum hominum genera et ingenia significare et quasi perfecte re praesentare (cf. p. 252. E. sqq.); quare injuriam Platoni inferret, qui, quae fabulose ille de diis fingit, ad philosophicam dei notionem definiendam adhibere vellet.

Pergit deinde Hermannus ita: *Quid quod deus ipse ex genuina Platonis doctrina non aliter bonus esse potest, nisi per bonitatis sive ideae boni participationem? quam ut facililime per diuturnam cum illis conversationem adipiscitur, ab ipsa tamen bonitate non minus diversus est, quam magnus ab ipsa magnitudine, mens sapiens ab ipsa sapientia, quilibet denique bonus ab idea boni, sitque licet certissimum, Deum esse sine benignitate non posse, quod identidem Plato asseverat (Rep. II. p. 379. B. Legg. X. p. 900. D. Theact. p. 176. E. Phaedr. p. 247. A. Cf. Plut. non suav. vivi sec. Epic. c. 23. Sallust. de mundo c. 14. etc.), tamen non magis cum ipsa coalescit, quam cum vitae notione anima, etsi carere alteram altera non posse affirmet (Phaedon. p. 105. sqq.).*

Distinguitur sane homo magnus ab idea magnitudinis, mens sapiens a sapientiae idea; etenim neque homo magnus est ipsa magnitudo, nec mens sapiens ipsa sapientia. At num forte ipsum magnum ($\alphaὐτὸ τὸ μέγα$) distinguitur ab idea magnitudinis, ipsum pulchrum ab idea pulchritudinis, ipsum bonum ab idea boni? Atqui deum Plato ex nostra

³⁷⁾ Conferantur autem, quae de $\alphaὐτῷ τῷ μέγα$ vi annotavimus not. 27.

sententia nihil aliud esse statuit, nisi ipsum bonum, vel quod idem est, ideam boni. Quare qui eum propterea negaverit ideam boni esse posse, quia, ut bonus, ab idea bonitatis, per quam bonus fiat, distinguendus sit, is idem per idem demonstrare vult, ac manifesto in circulo versatur.

Denique Hermannus ad eum Timaei Platonici locum accedit, quo quum ex ipsa bonitate creationis consilium repetatur, ad nostram sententiam stabiliendam praecipue usi sumus. *Quod igitur, scribit, in loco primario (Tim. p. 29. E. sqq.) ideo mundum creasse Deus apud Platonem fertur, quia bonus esset sibi similia quantum fieri posset omnia videre cuperet, hoc tantum significat, ab idea boni ipsum mundi creandi consilium aequa ratione repetuisse; neque aliud est, quod nostro loco ideam boni omni et sapientiae et veritati vim suam addere ait. Neque enim mentem accipit ab illa Deus, qui ipse mens est, neque reliquae ideae, quarum conjunctione veritas continetur, sine boni idea disparuisserent; sed neque mentis apud Deum, neque idearum in mundo ullus usus fuisset, nisi boni idea proposita mens divina rectum idearum usum ad mundum faciendum accepisset; atque eadem philosophi ratio, qui nisi boni notionem adipiscatur, frustra sibi rerum omnium notitiam comparari.*

Sed in his ita aperte vir doctissimus simplicem verborum Platonicorum sententiam evitat, ut satis sit, illud monstrasse. Plato deum creasse ait, propterea quia bonus sit; Hermannus in bono non caussam, sed consilium et rationem creandi quaerendam esse contendit. Plato scribit *Toῖς γιγνώσκομένοις τοίνυν (γιγνώσκονται autem ideae) μή μόνον τὸ γιγνώσκεσθαι φάναι ὑπὸ τοῦ ἀγαθοῦ παρεῖναι, ἀλλὰ καὶ τὸ εἰναι καὶ τὴν ὄνσιαν* (Rep. VII. p. 509. B.), Hermannus autem reliquas ideas boni idea privatas non disparituras fuisse pro Platonis sen-

tentia venditat. In his interpretandi simplicitas et a praec-judicatis opinionibus integritas adeo violatur, ut ipsae artes, quibus Hermannus opus habet, ne in contrariam sententiam incidat, contra eam, quam defendit, facere videantur.

Haec sufficient ad examinanda ea argumenta, quibus Hermannus docte et subtiliter veterem de idea boni sententiam impugnat ac prorsus profligasse sibi videtur. Nostrae et argumentationis et refutationis cardo aperte vertitur in idearum Platonicarum notione, ex qua vel probata vel reprobata omne de re judicium pendebit. Quodsi verum est, ideas nihil aliud esse nisi notiones animo obversantes, nequidquam Hermanni sententiam impugnavimus et tantum non omnia concidunt, quae ipsi proposuimus, argumenta; sin probanda sunt, quae supra de idearum natura exposuimus, ideas non esse meras notiones cogitatas, sed notiones essentia praeditas, vix opus erat, Hermanni rationes, repetitas ex contraria sententia, accuratius pertractare.

De animae mundanae apud
Platonem elementis.

(Tim. p. 35.)

Quum universus Platonis Timaeus pro peculiari et argu-
menti natura et disputationis ratione reliquis libris Platoni-
cis difficilior sit ad intelligendum et obscurior, tum is locus
hujus dialogi, in quo totius quaestionis summa inest et
quasi caput, mirum quantum antiquitus interpretum ingenia
exercuit. Quot enim et quam diversae sententiae de ani-
mae mundanae apud Platonem elementis et conformatione
— quae quidem est manifesto ejus quaestionis summa —
ab antiquissimis Platonis interpretibus propositae sint, jam
Plutarchus in exordio ejus libri, quem de animae procrea-
tione e Timaeo Platonico scripsit,¹⁾ difficile ait esse et
operosum enarrare; ac posteriorum temporum sollertia re-
novatisque nostra praecipue aetate his studiis philosophicis
tantum abest, ut una quaedam interpretatio inventa sit, quae
communem assensum tulerit, ut aucto etiam explicationum
propositarum numero, lis adhuc, quod ajunt, sub judice
sit. Quo magis gratum acceptumque videri debet, quod
vir doctissimus, qui de Platonicis libris edendis et inter-
pretandis optime meruit, God. Stallbaumius, specimen

¹⁾ Plut. de animae procr. e Timaeo Vol. XIII. p. 287. ed.
Hutten.

exhibiturus susceptae a se universi Timaei editionis, nuper singulari disputatione, quae programmati scholae Thomanae Lipsiensis in annum 1837. praemissa est, locum illum difficillimum doce et copiose tractavit ita, ut verborum sententiaeque difficultates pariter respiceret. Cujus quidem disputationis quum duae sint partes, altera, qua de animae mundanae elementis Tim. p. 35. A., altera, qua de ejus facultatibus inde oriundis agitur, Tim. p. 37. A. B. hunc locum ita videtur Stallbaumius pertractavisse, ut, quod ipse exspectavit, virorum doctorum desideriis cumulate sit satisfactus; quae autem de altero loco disputavit, qui et difficilior est et ad perspiciem Platonis sententiam gravior, ea vereor ut cuiquam probaturus sit, qui rem accuratius consideraverit. Quare licebit etiam post hanc commentationem eundem Timaei locum p. 35. A. denuo in quaestionem vocare, num quid forte ad inveniendam si non veram, certe verisimilem explicationem conferre nobis contingat. Qum autem duplex sit loci difficultas, verborum altera, altera sententiae, primum, ut par est, grammatice de loco disseremus, deinde ad investigandam sententiam philosophi accedemus; in qua explicanda quo clarius appareat et qua in re ab sententiis alioquin probatis recedamus et cur recedendum nobis esse censeamus, ita versabimur, ut praecipuas explicationes, quae nostra potissimum aetate a viris doctis propositae sunt, examinemus, antequam proprio Marte locum interpretari suscipiamus.

I.

Locus Timaei, de quo disserendum est p. 35. A., ex recensione J. Bekkeri sic exhibetur: την ψυχην — ξυνεστήσατο ἐκ τῶνδε τε καὶ τοιῷδε τρόπῳ. τῆς ἀμε-

ροτου καὶ ἀεὶ κατὰ ταῦτα ἔχονσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς, τότεν ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ ξυνεκεράσατο οὐσίας εἶδος, τῆς τε ταῦτοῦ φύσεως αὖ περὶ καὶ τῆς θατέρου καὶ κατὰ ταῦτα ξυνέστησεν ἐν μέσῳ τοῦ τε ἀμεροῦς αὐτῶν καὶ τοῦ κατὰ τὰ σώματα μεριστοῦ. *E natura, quae individua semperque eadem est et ex ea rursus, quae circa corpora dividua sit, tertiam commiscuit essentiae speciem; quod deinde attinet ad naturam ejus quod idem, et ejus, quod diversum est, etiam hac ratione collocavit in medio naturae individuae et ejus, quae circa corpora dividua sit.*

Apertum est, a verbis τῆς τε ταῦτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς θατέρου incipiendum esse alterum enuntiationis membrum, sed dubitatio oritur ex ea ratione, qua priori membro et conjungitur et opponitur. Quod quum fiat per unam particulam αὐ — τε enim non cum superioribus hoc enuntiatum conjungit, sed ad proximum καὶ spectat — et aegre desideramus particulam δέ, τῆς δὲ αὐ, et hoc certe postulamus, ut statim ab initio enuntiationis αὐ positum sit: τῆς αὐ ταῦτοῦ τε φύσεως. Sed sufficiat licet αὐ suoque loco positum esse videatur, alia tamen e sententia oritur difficultas. Etenim particula αὐ, ut quae progressionem quandam significet, ita demum scriptor recte usus esse videbitur, si ad aliquid progrediatur, quod novum sit neque in superioribus contineatur. Atqui in priore enuntiationis membro de natura constanti, quae eadem semper est, agitur et de altera natura, quae, quamquam non θατέρου vocabulo nominatur, tamen ipsa oppositione tamquam θατέρου significatur. Jam si exponitur in eo membro, quod per αὐ incipitur, qualis fuerit mistio, quod attinet ad naturam ταῦτοῦ et θατέρου, nihil assertur, quod in superioribus nondum dictum sit. — Ac

novis difficultatibus implicamur per eandem enuntiationem τῆς τε ταῦτοῦ — θατέρου, si non ad ea verba, quae antecedunt, respicimus, sed ad ea, quae subsequuntur. Quum enim scriptor ita ordiatur: quod deinde attinet ad naturam diversi et ejus quod idem est, jure nostro exspectamus, eum expositum esse, quomodo ad has pertineat ea mistio, qua anima conficiatur, sicuti antea eam dixit medium esse inter individuam constantem et dividuam naturam; sed longe aliter scriptor; adeo sibi non constat, ut quum significaverit, se dicturum esse, quomodo ad naturam ταῦτοῦ et θατέρου illa mistio pertineat, tamen idem fere repeatat, quod jam antea dixit, quae sit ejus ad naturam dividuam et individuam ratio.

Has difficultates si quis omnes apud animum réputaverit, simulque loco accuratius considerato intellexerit, fieri non posse, pt tentata alia quadam verborum interpretatione removeantur, id habebit persuasum, verba, sicuti nunc scripta exhibentur, a Platone profecta non esse et cupide lectionis varietatem circumspicet, num quod in ea genuinae scripturae vestigium reperiri queat. Sed mira est codicum in tuenda ea, quam dedimus, lectione consensio; Bekkerus certe nihil varietatis enotavit et apud Plutarchum et Proclum in commentariis, quos hoc de loco scripsérunt, plane eadem verba legimus, quae in nostris editionibus exhibentur. Quo minus negligendum est, quod Sextus Empiricus hunc locum ita affert, ut πέρι omittat Adv. Math. I, 13, 302.; nam viam certe veri inveniendi significatam habemus, quamquam non licet in eo acquiescere, ut πέρι e textu exterminemus. Ita enim genitivus τῆς τε ταῦτοῦ γύσεως αὐτοῦ καὶ τῆς θατέρου non esset habiturus, unde penderet; sed tum demum recte procedet universa enuntiatio, si duo illa vocabula, quae dubitationem moveant, αὐτοῦ et πέρι simul

ejecerimus, ita ut τῆς τε ταῦτοῦ etc. ad superiora trahatur et ab ἐν μέσῳ pendeat, hoc sensu: *Ex individua constantique natura et ex ea, quae circa corpora dividua fit tertiam commiscuit essentiae speciem, quae media sit inter naturam ejus, quod semper idem est, et naturam diversi, et hoc modo²⁾ in medio collocavit individuae naturae et ejus quae circa corpora dividua fit.* — Apte ex hac interpretatione universam enuntiationem cohaerere, quum anima, sicuti mista est ex individua constanti et dividua diversi natura, ita in medio collocata esse dicatur et idem inter et diversum, et individuam inter dividuamque naturam, vix est, quod moneatur; si autem illud quis vituperet, quod leve quoddam vestigium secuti contra unanimem codicum consensum a lectione vulgata conjicioendo recesserimus, ac propterea explicationem in dubitationem vocet, meminerit, vulgatam non posse omnino retineri et immutandam fuisse, etiamsi ne levissimum quidem genuinae scripturae vestigium inventum fuisse, simulque animadvertat, omnes fere, qui locum vel latine vel vernacule interpretati sunt, sive scientes et meliore lectione adjutos, sive invitatos ita convertisse, ut αὐτὸν πέρι non exprimeretur.³⁾

²⁾ Secuti sumus lectionem κατὰ ταῦτα unice propterea, quia plororumque et meliorum codicium autoritate confirmatur; ad sensum enim altera, quae in libris et manuscriptis et editis exhibetur κατὰ ταῦτα si non aptior, certe pariter apta est. Quare non video, quo spectet, quod Stallbaumius scribit l. l. p. 5. *Nam quod fuerunt, qui pro κατὰ ταῦτα ac prout inde nuper rejectum istud κατὰ ταῦτα postliminio restituendum putarent, id vix mentione dignum videtur, si quidem ea lectio alteri longissime postponenda est.*

³⁾ Ut taceamus novissimum Timaei editorem *Lindavium*, quem merito Stallbaumius reprehendit l. l. p. 4. sufficiet

Satis haec dicta sunt de grammatica loci ratione; accessimus autem et explicando et emendando proxime ad Stallbaumii sententiam, qui e Sexti Empirici loco, quem attulit,⁴⁾ πέρι non esse genuinum colligit, αὐτὸν vero non simpliciter omittit, sed ex ὅν corruptum esse arbitratur; qua quidem corruptela quum obscurata esset genitivorum τῆς τε ταῦτοῦ φύσεως etc. constructio, ea ut restitueretur, deinde insertam esse particulam πέρι. Sensu vix differet, utrum ὅν adjectum esse censeamus an omissum, sed facilis ex nostra ratione corruptelae origo explicari videtur, quia quum paucis verbis ante legatur τῆς αὐτὸν πέρι oculorum errore fieri facillime potuit, ut hoc quoque loco ad τῆς repeterentur eadem verba αὐτὸν πέρι; longiorem autem

Ficini et Boeckhii interpretationes attulisse. Ille enim locum sic convertit: *Ex ea substantia, quae individua et semper eadem similisque est, et ex ea rursus, quae circa corpora dividua fit, tertiam substantiae speciem commiscait medium, quae rursus esset naturae ipsius ejusdem et ipsius alterius particeps etc. ubi autem quidem expressum est πέρι autem omissum.* Utrumque vocabulum Boeckhius praetermisit, ubi locum interpretatur (Studien von Daub und Creuzer. III. p. 35.) *Aus der untheilbaren und immer auf dieselbige Weise bestehenden Substanz und anderseits aus der an den Körpern theilbar werdenden, aus beyden mischte er eine dritte Gattung der Substanz (εἶδος οὐσίας) zusammen, welche die Mitte hielte zwischen der Natur des Einförmigen (ταῦτοῦ) und des Verschiedenen (θατίγονος).*

⁴⁾ Stallbaumius praeterea ad confirmandam suam conjecturam adhibuit Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. III, 24, 189, ubi idem πέρι omittitur, sed vereor, ut ex hoc loco quidquam colligi possit, quum Sextus ibi sententiam tantum Platonis afferat, non ipsa verba.

corruptelae viam Stallbaumii conjectura requirit, quum duplice demum mutatione genuinae scripturae perficiatur.

II.

Sequitur jam ut potissimas, quae nostra aetate a viris doctis propositae sunt, hujus loci explicationes recenseamus et breviter examinemus; qua in re facilime ab altera explicandi ratione ad alteram transibimus, si ab ea quam nuperrime Stallbaumius l. l. p. 6. sqq. ineundam suasit, initium fecerimus. Est autem ejus explicationis haec fere summa.

Per ταῦτον Stallbaumius significari dicit vim et naturam mundi intelligibilis sive idearum, quae quoniam via sua ac per se seorsim constet, neque ullam subeat naturae suae mutationem, recte vocetur individua atque sempiterna, eademque ταῦτον; per θάτερον autem designari materiam corporum, quae quia perpetuo mutetur neque ullam habeat naturae constantiam, fieri potius quam esse dicatur atque etiam vocetur θάτερον; cuius usus exempla assert Phaed. p. 102. A. Symp. 211. B., omissis, ut ait, multis e dialogo Parmenide. Quod autem e natura intelligibili et e materia corporum Plato animam conflatam esse statuerit, nemini debere mirum accidere, qui reputaverit, qualem Plato et mundum intelligibilem et corpoream materiam cogitaverit. Illum enim Platoni visum esse tamquam objectum extrinsecus et mentis quasi oculis obversantem, utramque vero et idearum vim intelligibilem et corporum materiam ab eo informatam esse ut infinitum et veluti primarium, quod omni viduatum qualitate factioni subjectum sit, ut adeo proprie οὐσία eo sensu, quo apud Platonem de rebus finitis dicatur, in illud non conveniat. Nec tamen esse cur

hac re offendamur, quoniam philosophus interdum etiam *εἶναι* et *οὐσία* latiore sensu usurpaverit; in tanta enim aptorum vocabulorum penuria hanc loquendi ambiguitatem prorsus evitari haud potuisse. (Ibid. p. 7.)

Junctis his duabus naturis infinitis tertiam deinde fuisse adjungendam, quae informi quasi materiae afferat definitae rationis atque formae legem et virtutem. Eamque esse *οὐσίαν*, quae infinitae idearum pariter ac corporum naturae certam essentiae legem et conditionem impertiat; ideoque etiam id, quod natura sua inter se pugnet neque in unum conveniat, tamquam conciliet et quodam unitatis vinculo conjungat. — Quod si quis hanc miscendi conjungendi que rationem comparaverit cum quatuor illis rerum generibus, quae ex Philolai sententia sibi prorsus probata Plato in Philebo distinxerit, natura infinita, finiente, mixta et miscendi causa, praecclare utrumque inter se convenire. Quod enim Philolaus infinitum vocavit atque ab aliis appellatum est infinitae dyadis nomine, id ipsum apud Platonem inesse in duabus illis animae primariis elementis, quae per *ταῦτα* et *θάτερον* significavit: finiens elementum cerni in vi essentiae, quae una cum utriusque illius naturae copulatione emergat; absolutam animae mundanae naturam pertinere ad genus mixtum; caussam denique conjungendi et vim quasi creatricem repetendam esse ex summi nominis ratione. (ibid. p. 8. sqq.)

Dedimus, quoad fieri potuit, Stallbaumii sententiam iisdem, quibus ipse usus est, verbis, ne forte, si quid ambigu in ea inesset, id nos intulisse et obtrusisse videremur. Ac sane perquam gravis ambiguitas cernitur in explicanda notione *ταῦτα*, quam definiturus Stallbaumius vocabulis utitur mirum quantum indefinitis. Dicit enim per *ταῦτα* designari *vim et naturam mundi intelligibilis* (l. l. p. 6.),

naturam, qualis in ideas cadat (ibid.), *naturam intelligibilem* (p. 7.), *elementa naturae intelligibilis* (ibid.), quibus vocabulis omnibus illud profecto non efficitur, ut, quid per ταῦτον Plato significaverit, clare perspiciamus et certam ταῦτον notionem concipiamus. Quid quod non obscure solum et ambigue de notione ταῦτον loquitur, verum etiam talia de ea praedicat, quae manifesto sibi invicem repugnant neque inter se ulla ratione conciliari possint. Dicit enim ab initio vim et naturam mundi intelligibilis propterea recte appellari ταῦτον, quoniam vi sua ac per se seorsim constet, neque ullam naturae suae subeat mutationem (p. 6.), atque eandem deinceps informandam esse ait ut infinitum et veluti primarium, quod omni qualitate viduatum factioni subjectum sit. Haec sine vere quispiam sibi persuaserit conjungi inter se posse? Quid enim? Id, quod nullam subit naturae suae mutationem, suam qualitatem constanter ac perpetuo retinet, habeatque aliquam qualitatem necesse est, ita ut nulla ratione dici possit omni qualitate viduatum esse; ac vice versa, si quid infinitum primitus et omni qualitate vacuum factioni subjectum est, qua definiatur, dici non potest, suam qualitatem immutatam retinere, siquidem primariam naturam indefinitam exuit. — Sed licet se invicem prorsus tollat, quod Stallbaumius et immutabilem et indefinitam concipiendam esse ait mundi intelligibilis naturam, tamen propterea non erit vituperandus, dummodo utrumque ex ipsa Platonis sententia dicatur, sibi ipsi fortasse non satis constantis. Atque illud quidem, quod mundum intelligibilem Platoni per se ac seorsim sempiternum constare statuit et ab eo considerari tamquam objectum extrinsecus ac mentis quasi oculis obversantem, fere convenit cum ea idearum notione, quam nos supra ex ipsis Platonis libris explicuimus, (p. 9. sqq.)

infinitam autem naturam omni^{que} qualitate vacuam ideis a Platone tributam esse ex ipsis nimirum Platonis et Aristotelis testimonii Stallbaumius collegit. l. l. p. 8. Sed quae tandem sunt illa testimonia? Ex Platone quod affertur locus Parmenidis dialogi p. 137. D. sqq. prima pars significari videtur illius disputationis, qua quaeritur, quid inde consequens sit, si ponamus τὸ ἐν εἴναι (p. 137—142.), qua quidem disputationis parte nullum omnino praedicatum τῷ ἐνί τribui posse dialectice probatur. Sed quum deinde p. 142 — 155. plane contraria probare dialectica ratione cogamur, opposita quaeque praedicata τῷ ἐνί tribuenda esse, quo tandem jure licebit ad priorem illam disputationem provocare, ut ideas omni^{que} qualitate viduatas esse demonstremus, neglecta hac posteriore disputationis parte? Unde vel illud ipsum constat, per τὸ ἐν Parmenideum significari id earum Platonicarum naturam? Longum foret et ab hūjus quaestionis consilio alienum, universi dialogi, qui Parmenidis nomine inscriptus est, argumentum ita exponere, ut de natura id earum omni^{que} qualitate vacua nihil in eo contineri appareat; hoc certe, qui illius dialogi naturam norit, nobis concedet, singulo aliquo loco, disrupto nexu, in quaestione ad universum systema patente non ita uti licere, ut hoc loco factum est. Nihil est enim facilius, quam philosopho, qui posita quadam conditione, quae inde consequantur, investiget, quaelibet obtrudere, si quae ab eo ex posita conditione tantummodo derivantur, veram et absolutam ejus sententiam prodere sine omni ratione nec reliqua ejus placita respiciens statueris. Sed praeterea Stallbaumius ad Aristotelem provocat. At Aristotelis locos, ex quibus consequatur id earum infinitam esse naturam, Stallbaumius accuratius significare debebat, nec simpliciter et in universum ad ejus testimonia provocare, quamquam

conicere licet, tacite eum respicere praecipue locum e physicis III, 4. ubi de Platone Aristoteles haec habet: τὸ μέντοι ἀπειρον καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς καὶ ἐν ἔκειναις (τοῖς ὑδεῖς sc.) εἶναι. Sed haec verba non ita sunt intelligenda, ut Aristoteles ideas vel mundum intelligibilem a Platone habitas esse pro infinita, omni qualitate viduata natura opinatus esse dicatur. Aristoteles dicit, ex Platonis sententia inesse τὸ ἀπειρον et in ideis et in rebus sensibilibus, vel a Platone referri τὸ ἀπειρον et ad res sensibiles et ad ideas, non quo alteraeutrae sint indefinitae, sed quod ex natura indefinita utraeque formentur. Quod si de rebus externis satis et notum est et qui dicatur perspicuum, obscurius censeatur de ipsis ideis dici et ne sic quidem cum reliquis Platonis de idearum natura placitis convenire. ⁵⁾ Videtur autem res ita esse animo informanda. Id, quod certa quadam ac definita qualitate praeditum exstat sibique constat, cogitatione quodammodo ita dividi potest, ut discernatur qualitas et illud, quod quum per se qualitate vacuum sit, ipsa qualitate definiatur. Hoc, quod posteriore loco nominavimus est, τὸ ἀπειρον, i. e. indefinitum, omni et qualitatis et quantitatis

5) De idearum materia sive de infinita natura, qua definienda ideae existant, apud ipsum Platonem ne levissimum quidem vestigium invenitur; sed e disertis Aristotelis testimoniis apparent posuisse Platonem τὸ ἀπειρον ita, ut etiam ideae inde formari censeantur. Cf. Metaph. I, 6 ἐπεὶ δ' αὕτα τὰ-εἴδη τοῖς ἄλλοις τάξειν στοιχεῖα ἀπάντων φήθη τῶν ὅντων εἶναι στοιχεῖα· ὡς μὲν οὐν̄ ὑλην τὸ μέγα καὶ μικρὸν εἶναι ἀρχάς, ὡς δ' οὐσίαν τὸ ἐν· εἰς ἔκεινων γὰρ πατὰ μεθεξιν τοῦ ἐνὸς τὰ εἴδη εἶναι τοὺς ἀριθμούς. Trendelenburg de ideis etc. p. 47. sqq. Brandis diatribe de p. Ar. I. p. 61. sqq. et in Mus. Rhen. II., p 562. 576. sq.

notione vacuum, illa qualitas est natura, ex qua infinito certi fines repetantur. Hoc fere sensu Plato, quum in re ac veritate sejuncta esse censeret, quae cogitando quodammodo discerni possunt, duo posuit idealium principia, alterum *ἐν ὑλῇ εἶδει*, quam materiam idealium recte dicere poterimus, modo omnem spatii et extensionis notionem longe removerimus, alterum tamquam finiens et determinans; illud appellavit τὸ μέγα καὶ μικρόν, vim autem finientem cerni statuit *ἐν τῷ ἐνί*. Metaph. I, 6. ὡς μὲν οὖν ὑλὴν τὸ μέγα καὶ μικρὸν εἶναι ἀοχάς, ὡς δὲ οὐσίαν τὸ ἐν. Εἰς ἐκείνων γὰρ κατὰ μέθεξιν τοῦ ἐνὸς τὰ εἴδη εἶναι τοὺς ἀοιδμούς.

Diximus de ambiguitate et inconstantia, quae in Stallbaumii explicatione cernatur, non quo ea examinanda supersedeamus, sed ut eam assequamur, quae examinanda sit, ne forte cum umbra, ut ajunt, pugnare videamur. Aperatum est autem Stallbaumium, siquidem diserte ταῦτόν ad genus infinitum refert et tamquam informem materiam per essentiam formari dicit, per ταῦτόν non putare significari communem omnibus ideis naturam et qualitatem, in earum immutabilitate aeternaque constantia conspicuam, quo tamen spectare videatur, quod ταῦτόν esse dicit *naturam mundi intelligibilis, naturam, qualis in ideas cadat*; neque universam omnium idealium complexionem, quod ex *mundi intelligibilis* nomine colligas; horum enim neutri natura indefinita convenit; sed per ταῦτόν unice materiam idealium ex ejus sententia significari posse. Unde si breviter rem comprehendimus, haec fere exsistit sententiae summa:

Anima mundana conflata est e materia idealium et e materia corporum, quibus per se indefinitis per essentiam adjunctam certa quaedam essentialiae lex et conditio imperita est.

Haec si re vera Stallbaumius Platonem de animae mundanae elementis statuisse opinatur, mirum quantum non modo a vero, sed ab omni etiam specie veri aberravit. Nam primum quidem vocabulo *ταῦτοῦ* infinita omnisque formae expers idearum materia significari nullo modo potest; *ταῦτόν* enim id indicat, quod constans est, sibi ipsi congruum, et quale est, tale esse perseverat; haec autem natura, quum omnis qualitatis expers sit, ne sibi quidem ipsa constare dici potest. Quare licebit paene iisdem verbis contra Stallbaumium uti, quibus ille Boeckhii sententiam rejicit. Etenim Boeckhium, qui per *ταῦτό* intelligi vult τὸ ἔν, per θάτερον indefinitam dyadem, hisce verbis refutasse sibi videtur: *Quum unitas finitum, indefinita dyas infinitum significet, fieri non potest, ut priore nomine infinita mundi intelligibilis natura designetur* (I. I. p 9.); immo vero, quum *ταῦτόν* non minus quam τὸ ἔν finitum quidpiam ac sibi constans significet, fieri non potest, ut illo nomine infinita natura, sive intelligibilis mundi sive sensibilis, designetur. — Sed ut largiamur, idearum indefinitam naturam per *ταῦτόν* significari, in aliam statim delabimur haud leviorem difficultatem. Distinguitur enim nostro loco idearum materia a materia corporum ita, ut non solum altera diversa ab altera, sed altera alteri opposita esse videatur, nec sine vi dueae istae naturae in unum conflari posse dicantur. At ex ipsis illis locis Aristotelicis, quibus supra aliud spectantes usi sumus et ex Met. I. 6. sequitur, Platonem ex eadem infinita natura, quam vel ἀπειρον vel μέγα οὐκι μίζον nominavit, et ideas et alia ratione res sensiles formari censuisse; qua de re acute Trendelenburgius de ideis etc. p. 55 sqq. et p. 92. et plane et enucleate, ut solet, Brandisius exposuit, Ueber die Zahlenlehre der Pythagoreer und Platoniker. Mus. Rhen. II. p. 580 sqq., idemque

allatis locis ex commentatoribus Aristotelis in diatribe de Aristotelis libris perditis de bono p. 33—43. disseruit, ita ut ne verbum quidem adjiciendum esse videatur.

Nolumus, ne longiores simus, ea etiam examinare, quae de notione θατέρων et οὐσίας Stallbaumius dissernit, et omittimus alia afferre, quae contra ipsam explicationem ταῦτον in promptu sunt: sufficiat duo illa argumenta attulisse, quorum utrumque sua ipsius vi ad Stallbaumii sententiam refutandam idoneum est. Elegimus autem ex aliis haec potissimum argumenta, quod si quis alterum utrum eorum errorum, in quos Stallbaumium incidisse significavimus, evitare studuerit, reliquam vero explicationem, quoad fieri potest, immutatam retinuerit, sponte et quasi rei ipsius necessitate ad eas sententias perveniet, quae alioquin potissimum a viris doctis propositae ac probatae sunt. Etenim si quis meminerit, non esse aliam idearum, aliam rerum sensibilium materiam, illud autem persuasum habeat, per ταῦτά et θατέρων materiam significari, quae et ideis et rebus sensibilibus formandis pariter parata sit, facile in animum induxit, non significari per alterum idearum, per alterum corporum materiam, sed per ambo inter se conjuncta materiam pro duplice, quae ei est, natura exprimi. Et ea quidem est Brandisii sententia, qui in libello quem de perditis Aristotelis libris de bono edidit, ubi et ideas immutabiles et res sensiles ex eodem infiniti elemento proficiisci docuit, his deinde verbis p. 64 sq. locum Timaei, de quo disserimus, explicat: *Cum probabile conjectura est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur, hoc suae doctrinae fundamentum Platonem jam in mente habuisse, cum Sophisten, Philebūm, Timaeūm aliosque quosdam e dialogis conscriberet. Atque aut fallor, aut duplex illa dīvīdūt in dyade indefinita comprehensa natura, idealis scilicet et materialis (venia*

sit verbis) ταῦτον et θατέρων vocabulis et in ejus Sophista (p. 255. sqq.) et in ejus Timaeo (p. 35. sqq.) significatur; idque ita ut ipsum ens in Sophista sumnum unitatis principium sit, et in Timaeo anima mundi non quidem ex ideis et materia certis jam qualitatibus praedita, sed ex utriusque principiis conflata. Non enim naturam, quae jam corporea sit, sed eam, quae circa corpora dividua fiat, Platonicus demiurgus adhibet in mundi fabrica. Quam quidem sententiam etiam postquam oblocutus est Trendelenburgius de ideis Platonis p. 95. immutatam retinuit et accuratius exposuit Mus. Rhen. II. p. 579. Sed licet plurimum tribuam nomini ejus viri, qui in hoc quaestionum genere facile princeps judicetur, et ipsa constantia, qua sententiam suam retinuit, non negligenda sit, tamen committere nequeo, ut plus apud me valeat auctoritas, quam rationum vis. Ac sunt quidem rationes satis idoneae, quibus movear, ut a Brandisii sententia discedam. Neque enim in verbis explicandis ullum conspicuum est vestigium, quo moneamur, per ταῦτον καὶ θατέρων indefinitam materiae naturam significari, neque alias ullus locus exstat, ex quo appareat, materiam a Platone sicuti magni et parvi, densi et rari aliorumque inter se oppositorum conjunctione, ita etiam ταῦτον καὶ θατέρων nomine significatam esse; quem enim Brandisius locum e sophista attulit, ex eo illud colligi non posse infra demonstrabitur. Sed ponamus, etiam ταῦτον καὶ θατέρων nomine indefinitam naturam a Platone appellatam esse — nam potuisse eam sic nominari quis neget? — quaeritur, qua ratione ipsum hoc nomen ad significandam naturam indefinitam aptum sit. Egregie hoc Brandisius decet, quum scribit l. l. p. 64., materiam nihil esse per se, sed meram virtutem ac potestatem, δύναμιν gignendi, quae pari ratione et magnum et parvum ac quae reliqua sunt

dici possit in se continere. Materia igitur nec magni, nec parvi qualitatem re vera habet, sed propterea magnum et parvum nominatur, quia potest ad utramque qualitatem definiri et quasi conformari; eodemque modo non ita judicanda erit ταῦτὸν καὶ θάτερον nominari, quod jam habeat in re ac veritate idearum immutabilium rerumve mutabilium naturam, sed quod diversa ratione ita potest determinari, ut vel ideae vel res sensiles exsistant; vel ut brevitatem Aristotelicam imitari liceat, materia non ἐνεργείᾳ est magnum aut parvum, idem aut diversum, sed δυνάμει. Quare non licet ταῦτόν et θάτερον, ut quae jam seorsim et inter se distincta exstant, ponere et ex iis inter se conjunctis materiam, indefinitam illam scilicet, conformare, sed ponenda est a principio materia, ex qua pro diversa definiendi ratione et ideae et res sensiles exsistant; ac vice versa, quum nostro loco ταῦτο et θάτερον ut seorsim existantia ponantur et inter se conjungantur, materiae natura per eam conjunctionem non potest significata esse.

Redeamus jam ad Stallbaumii sententiam, eamque ita immutemus, ut alterum, in quo eum errasse censuimus, evitetur. Etenim nomen ταῦτον sicuti significandae materiae non convenire apertum est, ita prorsus aptum videtur ad significandum illud principium, ex quo finis modusque petatur; nam constantia quedam et naturae perpetuitas per ταῦτόν intelligitur. Hoc si quis in animum induixerit, probabile videbitur, alterum principium, quod per se indefinitum illius accessione definiatur, per θάτερον significatum esse. Quae quidem explicandi ratio eam habet veritatis speciem, ut et ab aliis pluribus interpretibus probata sit, et a Trendelenburgio in libro, quem de ideis Platonis scripsit, breviter quidem, sed plane ac diserte pro-

posita. Ubi enim de magno et parvo explicuit, quae ex Aristotele depromi possunt, ac deinde exponit, quae ejus notionis vestigia expressa et quasi praeformata sēmina apud ipsum Platōnem deprehēdantur, Timaei etiam locum his verbis tangit (p. 95.) : *Non minus conferenda sunt ταῦτο et θάτερον e Sophista (p. 255. sqq.) et Timaei principia (p. 35. sq.)* ἵνα ἀμέριστος οὐσία et μεριστή ita tamen, ut θάτερον, ἵνα μεριστή οὐσία magno et parvo respondeant, cuius indicia supra ex Aristotele attulimus,⁶⁾ ταῦτο et τὸ ἀμέριστον ei principio, quod Aristoteles τὸ ἐν significavit. — Quaestio-
nen de loco sophistae, ex quo appareat, ταῦτόν esse finien-
tem, θάτερον indefinitam naturam, etiamnum differre li-
ceat, siquidem ex ipso nostro loco aliisque ejusdem libri
locis satis apparebit, quid de hac sententia judicandum
sit. Nam primum quidem δύσμικτον Plato appellat
naturam θατέρον cum natura ταῦτον. Qui illud dici pot-
erit, si ταῦτόν intelligimus τὸ ἐν, θάτερον autem τὸ μέγα
και συμφόν, sive naturam indefinitam? Tὸ ἐν enim, quae
est ejus natura finiens, requirit quodammodo, non respuit,

⁶⁾ Trendelenburgius respicere videtur ad p 52: *duplex potissi-
mum magni et parvi est vis ac potestas, primum ut sint in
ideis materia τῷ ἐν quasi signanda, in quo Platonis θατέρῳ
quodammodo respondet, sicut et Aristoteles ēa dixit τὴν
ἴτερον φύσιν (i. e. τοῦ ἔρός) etc.* At θάτερον et nostro loco et
in sophista non id significat; quod ab uno, a τῷ ἐν diversum
est, sed universe diversitatis naturam. — Ceterum quos
Stallbaumius l.l. p. 6. locos adhibuit ad suam vocabuli
θάτερον explicationem probandam, Phaedon. p. 102. A. Symp.
p. 211. B., ii nec pertinent ad materiam corporum, sed ad
res singulares, nec si ad illam pertinerent, probare quidquam
possent, quia non τὸ ἔτερον, θάτερον ibi commemoratur, sed
plurali numero τὰ ἄλλα.

cui finem impertiat, nec materia, certe ubi de ideis definiendis agitur, sicuti agitur nostro loco, naturae definienti dici potest contraria esse et sese opponere. — Deinde si misceantur inter se ταῦτον et θάτερον sive τὸ ἐν et μέγα ναιὶ συκιόν, quaelibet definita, aeterna sibique constans natura inde efficietur, siquidem omnes res definitae et aeternae ex magno et parvo per τὸ ἐν formantur; quae autem peculiaris est et propria animae vis ac natura, his certe miscendi elementis nequaquam significatur.⁷⁾ — Denique cum ista ταῦτον et θάτερον explicatione non convenit usus horum vocabulorum, qui in aliis Timaei locis hoc pertinentibus cernitur. Distinguit enim Plato et in mundanae et in humanae animae agitatione motum ταῦτον et θάτερον, ita ut motus ταῦτον in universo mundo stellarum fixarum orbem, in singulis quibusque hominibus cognitionem ac scientiam, θάτερον orbis illic planetarum rotationem, hic opinacionem significet. Tim. p. 37. A — C. 38. C. 43 sq. Quibus quidem locis quium Plato manifesto respiciat ad ταῦτο et θάτερον tamquam elementa animae, id jure nostro postulamus, ut qui ταῦτο et θάτερον superiore loco recte videri velit explicuisse, easdem notiones his etiam locis aptas esse demonstret. At vero supra quidem ταῦτο et θάτερον ita sibi opponi statuitur, ut illud sit finiens, hoc omni modo et qualitate vacuum; his locis utrumque et ταῦτο et θάτερον suam quandam et definitam habet naturam, ita tamen, ut natura θάτερον diversa sit a natura ταῦτον eique opposita. Non negaverim quidem notiones ταῦτον et θάτερον, finientis et infini-

⁷⁾ Plut. de procr. an. p. 289. ed. Hutton. ή μὲν ἐκ τῆς νοητικῆς καὶ τῆς αἰσθητικῆς οὐσίας λεγομένη μίξις οὐ διαταρεῖται, πή ποτε ψυχῆς μᾶλλον η τῶν ἄλλων ὅ τι ἀν τις εἴποι, γένεσίς ἔστιν.

tae naturae, si quis ab accurata earum descriptione recedere voluerit, ita posse immutari, ut illa notionum discrepantia quodammodo conciliari videatur; at illud ipsum non est committendum, ut notionum fines accurate descriptos migremus; quaerenda certe est via, qua, nulla vi notionibus illata, easdem ubique vocabulorum ταῦτοῦ et θατέρου significations esse intelligatur.

Eam sententiam, quam Trendelenburgius explicuit, etiam H. Ritterus secutus esse videtur, quum per motum θατέρου intelligi censeat motum materiae (Gesch. der Philos. II. p. 364.), proposueratque eandem jam dudum V. Cl. Boeckhius in singulari commentatione, quam de animae mundanae apud Platonem conformatione scripsit. (Studien von Daub und Creuzer III. p. 1 — 98.) Qui quidem quod θάτερον indefinitam dyadem ad Pythagoricorum placitorum similitudinem appellare maluit, quam vel magnum et parvum, vel materiam, verborum magis quam sententiae est discrimen; ⁸⁾ unum tamen accedit, quod ei peculiare neque

⁸⁾ Boeckhium quidem scio peculiarem operam in eo collocare, ut materiae notionem a Platonis philosophia alienam esse demonstret, I. I. p. 28 — 31; eam enim naturam, qua per ideas formata res singulares ac sensibiles orientur, non esse materiam, sed ex ipsius Platonis testimonio spatium, τὴν χώραν. p. 52. A. Sed licet contra Boeckhium eodem Platone teste uti. Ubi enim primum eam naturam, quae per ideas conformetur, descripturus est, haec habet: εἰ γὰρ πάντα τις σχήματα πλάσας ἐκ χρυσοῦ μηδὲν μεταπλάττων πάνοιτο ἔκαστα εἰς ἄπαντα, δεικνύντος δή τινος αὐτῶν ἐν καὶ προξερομένου τί ποτ' ἔστι, μακρῷ πόρῳ ἀλήθευαι ἀσφαλέστατον εἰπεῖν ὅτι χρυσός, τὸ δὲ τολγωτὸν ὅσα τε ἄλλα σχήματα ἐνεγίγνετο μηδέποτε λέγειν ταῦτα ὡς ὄντα, ἢ γε μεταξὺ τιθεμένου μεταπλίττει, ἀλλ᾽ εἴναι καὶ τὸ τοιοῦτο μετ' ἀσφαλείας ἐθέλῃ δέχεσθαι τινος ἀγαπᾶν · ὁ αὐτὸς δή λόγος καὶ περὶ

ab alio quoquam, quantum equidem sciām, probatum est. Tertium enim illud, quod Plato ad conformandam animam mundanam adhibet, τὴν οὐσίαν, Boeckhius eam naturam esse censet, quae ex Θατέρῳ existat, ubi per ταῦτο definitum sit; ita quidem ut haec sit natura re ac veritate diversa a ταῦτῷ et Θατέρῳ, licet non deletis abolitisve

τῆς τὰ πάντα δεξομένης σώματα φύσεως · ταῦτὸν αὐτὴν ἀεὶ προσηγήτεον · εἰ γὰρ τῆς ἑαυτῆς τὸ παράπαν οὐκ ἔξισταται δυνάμεως, δέχεται τε γὰρ ἀεὶ τὰ πάντα καὶ μορφὴν οὐδεμίαν ποτὲ οὐδεὶν τῶν εἰςιόντων ὅμοίαν εἰληφεν οὐδαμῆν οὐδαμῶς · ἐκμαγεῖον γὰρ φύσει πατεῖ καὶ ταῖς, κινούμενόν τε καὶ διασχηματιζόμενον ὑπὸ τῶν εἰςιόντων. φάνταται δὲ δι' ἐκεῖνα ἄλλοις ἄλλοιν. p. 50. A — C. Haecce omnia de spatio dici possunt, neque potius unice ad materiae naturam pertinent? Quis enim spatum ἐκμαγεῖον, rudem atque omnis formae expertem massam nominaverit? quis spatum διασχηματίζεσθαι putaverit? Spatum nec forma mutari potest, nec moveri, neque qualitatem exuere vel induere, sed motus ac mutatio nisi ad materiam recte referri non possunt. Quid igitur statuendum erit de Platonis sententia, quum hoc loco materia manifesto significetur, alio autem, quem Boeckhius adhibuit, spatum nominetur? Apertum est, materiae et spatii notiones non satis esse a Platone distinctas, ita ut utramque cogitaret, ubi eam naturam concipere vellet, quae per ideas conformatur; idque ipsum disertis verbis Aristoteles testatur, ὁ Πλάτον τὴν ὕλην καὶ τὴν χώραν τὸ αὐτό φησι εἶναι ἐν τῷ Τημαῷ (Phys. IV. 2. cf. quos Brandisius laudavit commentatores diatr. p. 25. sqq.), qui quidem non is est de Platonis philosophia testis, quem temere, quod Boeckhius fecit, falso intellectae sententiae incuses. Nēque vero mirandum est, quod Plato materiae inter et spatii notiones non accurate distinxit; quod si quis a materia omnem prorsus ullius qualitatis notionem removerit, spatum autem non solum cogitandi formam, sed rem vere existantem esse dixerit, id quod Plato aperte statuit, altera notio alteri admodum propinqua est et confinis.

iiis naturis, quae in ea conjunctae sint. Eine eigne Substanz, inquit, ist dies Dritte natürlich; aber auch die beyden dadurch verbundenen Substanzen will er nicht als verschwunden angesehn wissen, weil beyder Eigenschaften und Wirkungen einzeln an der Substanz erscheinen. etc. p. 41. l. l. Obscurius haec dicta sunt, et aliquantum eam nostrae aetatis philosophiam redolent, cujus e placitis contraria per ipsam contrarietatem suam tertium quoddam ex sese procreant, in quo et servetur et tollatur contrariorum illorum oppositio; Platonem illud tertium non cogitasse tamquam ex duobus elementis ταῦτῷ et θατέρῳ ortum, nemo dubitare potest, qui contulerit Tim. p. 37. A. ἀτε οὖν ἐκ τῆς ταύτον καὶ τῆς θατέρου φύσεως ἐκ τε οὐσίας τοιῶν τούτων συγκραθεῖσα μοιόων etc. Quod enim e duorum elementorum mistione ortum est, id non potest tertium ejusdem mistionis elementum dici; ita enim e duobus elementis et tertio, illorum mistura, inter se mixtis quartum rursus oriretur; qua quidem ratione, ut misturam statuamus ejusdem iterum mistionis elementum esse, in infinitum progredi et e duobus elementis infinita efficere licebit.

Sed dixerit quispiam Boeckhium ipsis verbis Platonis necessario esse eo deductum, ut per οὐσίαν significari staueret id, quod ταῦτῷ et θατέρῳ conjunctis efficeretur. Platonem enim postquam dixerit, ex individua natura ταύτον et dividua θατέρου tertiam conflatam esse speciem, quae inter utramque sua natura posita esset, sic pergere: καὶ τοία λαβὼν αὐτὰ ὅντα συνεχεράσατο εἰς μίαν πάντα ὑδέαν, τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταῦτὸν ξυναρμόττων βίᾳ. μηγνὺς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας καὶ ἐκ τοιῶν ποιησάμενος ἐν πάλιν ὅλον τοῦτο μοίρας ὄσας προσῆκε διένεμεν· ubi quum dicatur τοία λαβὼν αὐτὰ ὅντα neque in superioribus aliud quid commemoratum sit, nisi

ταῦτό, Θάτερον et quod ex iis commixtum est, tertium illud; quod admisceatur eidem et diverso, non posse aliud esse, nisi id, quod ex iis conflatum sit. At vero hoc argumentum tum demum valebit, si inepta potius Platonem dixisse volumus, quam a lectione non tam codicum auctoritate, quam editorum arbitrio constituta recedere. Etenim major codicum pars non *αὐτά* exhibet, sed *αὐτά τά*, qua quidem scriptura in contextum recepta omnis difficultas removebitur, dummodo distinctionem paullulum immutemus. Videtur enim sic distinguendum esse: *Kαὶ τοία λαβὼν αὐτά ὅντα ξυνεκεράσσατο εἰς μίαν πάντα ἰδέαν, τὴν Θατέρον φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταῦτὸν ξυναρμόττων βίᾳ, μιγνύς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας.* καὶ ἐκ τοιῶν ποιησάμενος *ἐν* etc. *Et tria deinde adhibens entia in unam formam commiscuit, naturam diversi, mistu difficultem, invitam vi miscens cum eo, quod idem est, admiscens autem essentiam.* Ita enim per τοία τὰ ὅντα non ad ea respicitur, quae antea commemorata sunt, sed ad ea potius, quae deinceps enumerantur, *ταῦτό, Θάτερον et οὐσίαν*, neque aliud οὐσία significat, nisi quod ubique significat, ubi nude ac simpliciter usurpatur, essentiam sive *αὐτὸ τὸ εἶναι*.

III.

Longiores fuimus in recensendis excutiendisque virorum doctorum de Timaei loco sententiis, quamquam neque omnes commemoravimus, neque omnibus in quavis explicatione rejicienda argumentis usi sumus; potissimas tamen ex iis sententiis, quae nostra aetate propositae probataeque sunt, examinandas nobis judicavimus, ne temere tantorum viorum judicia spernere videremur. Si autem verum est, quod is demum alium plene ac perfecte refutasse dicitur,

qui alienae, quam rejecerit, sententiae novam ipse opponat probabiliorem, ea, quam dedimus, refutatio tum demum plenam fidem habebit, si nobis contigerit, nostram loci explicationem lectoribus probare. Hoc igitur ut assequamur jamjam agendum est. Et quoniam is locus Timaei, quem explicare suscepimus, compluribus difficultatibus impeditus est, non ineptum videtur disputationis principium ex alio potius ejusdem libri loco p. 37. A. repetere, qui quum eodem pertineat, ad explicandum tamen est facilior. Ibi enim Plato simpliciter animam compositam esse dicit *ex ταῦτῃ*, θάτερῳ et οὐσίᾳ ἀτε οὖν ἐκ τῆς ταύτου καὶ τῆς θάτερον φύσεως ἐκ τε οὐσίας τοιῶν τούτων συγκραθεῖσα μοιρῶν. Quare, omisso paullisper, individuae dividuaeque naturae discrimine, cuius p. 35. A. mentio injicitur, id unice quaeramus, quid ταῦτόν Plato dixerit, quid θάτερον. Et harum quidem notionum definitionem nemo, opinor, erit, quin ex sophista dialogo repetendam censeat. Ibi Plato communionem indagaturus, quae inter notiones intercedat, quinque notiones latissimè patentes exempli instar pertractat, ὅν, κίνησιν, στάσιν, ταῦτό, θάτερον, ita tamen, ut non statim ab initio has quinque notiones proponat, sed tantummodo tres, ὅν, κίνησιν, στάσιν, hisque ipsis indagandis ad ταῦτό et θάτερον adjicienda ducatur. Dixerit enim hoc modo, p. 254. **D.** Μέγιστα μήν τῶν γενῶν, ἀ νῦν δὴ δῆμεν, τό τε ὅν αὐτὸ καὶ στάσις καὶ κίνησις. — **H**ολύ γε. — **K**αὶ μήν τώ γε δύο φαμὲν αὐτοῖν ἀμίτω πρὸς ἀλλήλω. — **S**φόδρα γε. — **T**ὸ δέ γε ὅν μικτὸν ἀμφοῖν ἐστὸν γὰρ ἀμφα πον. — **P**ῶς δ' οὖ; — **T**οία δὴ γίγνεται ταῦτα. — **T**ί μήν; — **O**ύκον αὐτῶν ἔχαστον τῶν μὲν δυοῖν ἐτερόν ἐστιν, αὐτὸ δέ ἐαυτῷ ταῦτόν; — **O**ύτως. — **T**ί ποτ' αὖτε οὖτις εἰδίκαμεν τό τε ταῦτόν καὶ θάτερον; πότερα δύο γένη

τινὲς αὐτῶν, τῶν μὲν τριῶν ἄλλων, ξυμμεμιγμένω μὴν
ἐκείναις ἐξ ἀνάγκης ἀεὶ καὶ περὶ πέντε ἀλλ’ οὐ περὶ
τριῶν ὡς δύντων αὐτῶν σκεπτέον, ἢ τὸ τε ταῦτὸν τοῦτο
καὶ θάτερον ὡς ἐκείνων τι προσαγορεύοντες λανθάνομεν
ήμᾶς αὐτούς; — Jam ubi instituta quaestione apparet
ταῦτόν et θάτερον diversa esse a tribus illis, quae antea
propositae sunt, notionibus, ipsas tamquam quartam et quin-
tam, quae indagandae sint, adjicit. Τέταρτον δὴ προς
τοῖς τρισὶν εὑδεσιν εἰδος τὸ ταῦτὸν τιθῶμεν; —
Πάνυ μὲν οὖν. p. 255. C. **Πέμπτον** δὴ τὴν θάτερον
φύσιν λεπτέον ἐν τοῖς εὑδεσιν οὖσαν, ἐν οἷς προσαιρού-
μεθα. p. 255. D. Ex his Platonis verbis et ex omni dis-
putandi ratione facile est intelligere, quid Plato ταῦτό,
quid θάτερον dicat. Etenim animadvertis ex illis tribus
notionibus, de quibus disputare susceperebat, οὐσίᾳ, κινήσει,
στάσει, unamquamque sibi ipsi eadem esse et constan-
tem, a reliquis autem diversam, ταῦτόν et θάτερον posuit
tamquam notiones, vel ut accuratius dicamus e Platonis
sententia, tamquam ideas. **Θάτερον** est idea diversita-
tis, ταῦτόν est idea identitatis, ita ut recte veteres
Platonis interpretes, veluti Proclus, Plutarchus ταυτότητος
et ἑτερότητος vocabula substituisse videantur. Per ταῦτόν
autem intelligi principium formale idearum, τὸ ἐν, per
θάτερον materiam, τὸ ἄπειρον, τὸ μέγα καὶ συμβόν,
ne levissimo quidem vestigio significatur, neque in ea via
ac ratione, qua scriptor ad ταῦτόν et θάτερον deducitur,
neque in ipsis, quibus utitur, vocabulis. **Ταῦτόν** enim et
θάτερον nihil aliud per se significant, quam identitatem,
et diversitatem, idemque exprimitur per ἡ θατέρου φύσις
p. 255. D. 256. D. 257. C. 258. A. D. Et quod gravissi-
mum est ad ταῦτό et θάτερον tamquam ideas signifi-
candas, sicuti Platoni singulae quaeque res ita demum qualitate

aliqua praeditae esse videntur, ut cum ea idea consociatae sint, quae eandem qualitatem perfecte contineat, sicuti magna esse censentur per ideam magnitudinis, aequales per ideam aequalitatis, ita etiam diversae inter se ex Platonis sententia eo fiunt, quod cum θατέρω communionem habeant: ἐν ἔκαστον γὰρ ἔτερον εἶναι (φῆσμαν) τῶν ἀλλων οὐ διὰ τὴν αὐτοῦ φύσιν, ἀλλὰ διὰ τὸ μετέχειν τῆς ἰδέας τῆς θατέρου. p. 255. E., ubi si quis proxime superiora comparaverit, apertum est τὴν θατέρου ὥδεν, τὴν θατέρου φύσιν, τὸ θάτερον idem esse, et significari per ipsum θάτερον diversitatis, per ταῦτο identitatis ideam.

His duabus ideis, ut efficiatur anima, tertium admiscetur elementum, οὐσία. Exposuimus supra (p. 23. sqq.), ideis licet sua natura per se essentia competit, tamen quoniam ipsius essentiae idea posita sit, ita tantum a Platone τὸ εἶναι tribui, ut iis cum idea essentiae communio intercedat; quare communio quaedam ideas ταῦτον et θατέρου inter et ideam οὐσίας instituenda est, ut anima ex identitate et diversitate mixta re vera sit. Ac prorsus eodem modo, ut in Philebo elementis summi boni Plato veritatem admiscet, quod cui ea non misceatur, id numquam vere fiat factumve sit,⁹⁾ ita nostro loco, quia nihil est nisi quod cum idea essentiae conjunctum sit,¹⁰⁾ animae elementis οὐσίαν admiscet.

Unde appetit animam, quod dicitur συγκραθεῖσα ἐκ τῆς ταῦτον καὶ τῆς θατέρου φύσεως ἐκ τε οὐσίας, mixtam et conflatam significari ex ideis identitatis et diver-

⁹⁾ Phileb. p. 64. A. Ὡς μὴ μέσομεν ἀλήθειαν οὐκ ἀν ποτε τοῦτο ἀληθῶς γίγνοιτο οὐδὲ ἀν γενόμενον εἴη.

¹⁰⁾ Sophist. p. 252. A. Τί δέ; ἔσται πότερον αὐτῶν οὐσίας μὴ προσκοινούν; — Οὐκ ἔσται.

sitatis et ex essentia. Sed his ipsis videamur nihil nisi vocabula Graeca vocabulis Latinis reddidisse, et verba potius convertisse, quam sententiam explicuisse; illud enim queritur, qui animae natura et indoles his elementis et hac miscendi ratione describatur. Anima autem quum ipsa perse cognosci prorsus nequeat, unice ex ipsius agitatione et actione, qualis sit, colligi poterit. Jam si Platonem sequimur, duplex potissimum est ejus agitatio; aut enim versatur in contemplandis rebus aeternis et immutabilibus, in intuendis ideis, unde cognitionem ac scientiam, *ἐπιστήμην*, assequitur, aut in consciendis percipiendisque iis rebus, quae sensibus subjectae perpetuaeque mutationi obnoxiae sunt, unde opinatio sive *δόξα* oritur. Huic igitur dupli mentis agitationi respondebunt aliqua ratione duo illa, ex quibus conflata est, elementa *ταῦτών* et *θάτερον*; tertium enim, *οὐσία*, propterea huc non est referendum, quia non naturam animae exprimit, sed illud unice efficit, ut anima in re ac veritate sit. Jam vero persuasum est philosophis Graecis, qualis sit natura eorum, quae cognoscantur, talem etiam esse oportere naturam mentis, qua cognoscantur.¹¹⁾ Anima igitur, quo et aeternis immutabilibusque rebus et fluxis ac mutabilibus cognoscendis apta sit, utraque natura praedita sit necesse est, et constanti idealium et mutabili rerum sensibilium natura. Et haec quidem animae indoles ea miscendi ratione, quam Plato instituit, exprimitur; idealium enim communis natura cernitur in constantia vel identitate; res autem sensibles, quoniam perpetuo mutantur et a sua ipsae natura desciscunt, diversitatis nota recte significantur; atque anima quod ex *ταῦτῷ* et *θατέρῳ* effici statuitur, non ex ipsis quidem ideis,

¹¹⁾ Cf. p. 36. not. 33.

neque ex ipsis rebus sensibilibus vel rerum sensibilium materia, sed ex natura sive communi qualitate idearum et ex natura rerum sensibilium ita est conflata, ut utrisque cognoscendis pariter apta sit.

Recte nos Platonis sententiam explicuisse, quod eum per ταῦτον et θάτερον cognitionem et opinationem significasse statuimus, apparebit coll. Tim. p. 37. A. ubi ex motu ταῦτοῦ νοῦν ἐπιστήμην τε, ex motu θατέρου πίστεις καὶ δόξας oriri dicit. Neque tamen hoc unum Plato exprimere voluit, quum e natura ταῦτοῦ et θατέρου animam conformatam esse dixit, sed accedit alterum. Mentis enim agitatio non in concipiendis singularibus ac seorsim existantibus notionibus rebusve cernitur, sed ut cognitio et scientia comparetur, ab una notione ad alteram progrediendum est, notionesque inter se conjungendae sunt et disjungendae; judicandum est, utrum duae notiones vel res eadem sint natura, an diversae. Unde si in memoriam revocamus illud de mentis intelligentis rerumque cognitarum necessaria aequalitate placitum, ipsam mentem, ut cognoscat, quid idem sit, quid diversum, natura identitatis et diversitatis instructam esse oportet. Quibus e naturis si composita est, non id solum intelligetur, qui et congruentia et diversa cognoscat, verum etiam, quum error in eo cernatur, ut idem esse dicatur, quod diversum est, et diversum, quod est idem,¹²⁾ ex eadem miscendi ratione simul apparabit, qui fiat, ut mens errare interdum possit; etenim si quando, quaecunque demum caussa fuit, duo illa animae

¹²⁾ Soph. p. 263. D. περὶ δὴ σοῦ λεγόμενα μέντοι θάτερα ὡς τὰ αὐτὰ καὶ μὴ ὅντα ὡς ὅντα παντάπασιν, ὡς ἔοικεν, ἡ τοιαύτη σύνθεσις ἐν τις φημάτων γιγνομένη καὶ ὀνομάτων ὅγτως τε καὶ ἀληθῶς γίγνεσθαι λόγος ψευδῆς.

elementa inter se confunduntur, tum nimirum errabitur. Ac talem quidem confusionem Plato inde repetit, si corpus alendo praecipue et crescendo vehementius concitetur nimiamque vim in mentis agitationem exerceat. Conferendus praecipue est locus Timaei p. 43. E. sqq., ubi Plato utramque animae elementorum vim describit, et quae ad identitatem diversitatemque cognoscendam, et quae ad errorem inde oriendum pertinet.

Sed dixerit quispiam nos a disputationis fine aliquantum aberrasse, quod explicuimus, quomodo humanae mentis agitatio ex elementis ταῦτοῖ et θατέροι deducenda sit; neque enim agi de singulorum quorumque hominum animis, sed agi de mundana anima ex illis elementis conflanda. Vere hoc quidem moneatur, nec tamen propterea nequidquam disputavisse videbimus. Eadem enim ex Platonis sententia mundanae et humanae animae est natura, ac sicuti in libris de republica civitatis ordo et disciplina ac singuli cujusque hominis virtus ita inter se comparantur, ut alterum alterius exemplum habeatur, eodem modo in Timaeo ita de anima et mundana et humana disputatur, ut quae de altera ultra praedicentur, eadem pertineant etiam ad alteram, quippe quae natura inter se pares magnitudine tantummodo differant.¹³⁾ Ac profecto, qui animam quandam esse statuit, qua universus mundus agatur et moveatur, unde tandem vel obscuram ejus notionem petat, nisi si profectus ab humanae animae natura hanc quasi imaginem mundanae esse censeat, sicuti vice versa Plato mundi motum, omnis erroris expertem, exemplum et normam esse dicit, ex qua nostram animam regamus. Ideo enim oculorum sensum a deo datum nobis esse ait ἴνα τὰς ἐν οὐρα-

¹³⁾ Tim. p. 41. D.

νῷ κατιδόντες τοῦ νοῦ περιόδους χρησαίμεθα ἐπὶ τὰς περιφορὰς τὰς τῆς παρὸν ἡμῖν διανοήσεως, ξυγγενεῖς ἐκείναις οὐσας, ἀταράκτοις τεταραγμένας, ἐκμαθόντες δὲ καὶ λογισμῶν κατὰ φύσιν δρθότητος μετασχόντες, μιμούμενοι τὰς τοῦ Θεοῦ πάντως ἀπλανεῖς οὐσας τὰς ἐν ἡμῖν πεπλανημένας καταστησαίμεθα Tim. p. 47. B.

Haec si intercedit inter mundanam humanamque animam ratio, jam illud agendum est, ut quomodo mentis humanae agitationem oriri ex elementis ταῦτοῦ et θατέρου exposui-mus, ita etiam universi mundi vitam illi identitatis et diversitatis mistioni respondere demonstremus. Cernitur autem animae mundanae agitatio in motu siderum, quorum una pars, stellae fixae, ei, qui meridiem spectat, dextrorum volvi videntur, altera pars, planetae oblique sinistrorum. Jam si hos motuum orbes et directiones cum identitatis et diversitatis natura comparare voluerimus, cavendum est, ne nostrae cogitandi rationi nimium adhaereamus; dixerit enim quispiam, neutri eorum orbium vel diversitatis naturam per se convenire vel identitatis; utrumque enim sibimet ipsi cùndem esse, ab altero autem diversum. Quod licet vere dicatur, non dicitur tamen ex veteris philosophiae ratione; nam et Pythagoreis et Platoni, qui illos hac in re secutus est, similitudo quaedam intercedere videbatur dextrum inter et ταῦτον et sinistrum inter et θατέρου.¹⁴⁾ Qua de similitudine si ponimus Platoni persuasum fuisse, manifestum est, quomodo in natura ταῦτοῦ et θατέρου vitae mundanae quasi praeformata semina putaverit, ita ut ταῦτον et θατέρου mistione ipsam animae naturam assequi jure sibi videri possit. Ac significari re vera per

¹⁴⁾ Cf. Boeckh. de Plat. syst. globorum coelestium p. IX. not. 2.

ταῦτοῦ et *Θατέρου περιόδους* stellarum fixarum et planetarum orbes ex multis Timaei locis apparet, velut p. 36. C. 37. A — C. 38. C. 39. A. 40. B. al., ex quibus is praecipue memorabilis est, quem Stallbaumius posteriore libelli parte p. 10 — 16. egregie explicuit p. 37. A — C; ibi enim Plato ita conjungit orbem *ταῦτοῦ* cum cognitione ac scientia orbemque *Θατέρου* cum opinione, ut quam arcte externum siderum motum internamque mentis agitationem cohaerere inter se putaverit, quasi ante oculos ponatur, atque illud plane perspiciatur, cur *ταῦτοῦ* et *Θατέρου* mistione animae naturam confecerit. Etenim et duplex siderum motus et duplex mentis humanae agitatio adeo et sibi invicem, et notionibus identitatis et diversitatis respondent, ut ipsa sive mundi sive hominis anima nihil aliud esse possit, nisi conjuncta cum identitate diversitas.

His si videtur satis explicatum esse, quid Plato dicat, quod ex eodem, diverso, et essentia animam et mundi et hominis mixtam esse statuit, facilior ac tutior via patebit ad intelligendum eum locum, quem explicandum a principio proposuimus. Tim. p. 35. A. Eadem enim miscendrationem ibi quoque significatam invenimus, sed illud accedit, ut natura *ταῦτοῦ* dicatur individua, natura *Θατέρου* dividua, id quod plerisque interpretibus in caussa fuit, ut *Θάτερον* materiam intelligerent. Quid enim aliud dividuum dicatur, nisi vel corpus vel materia, *άρχοντος* illa *δύνασθαι* Mirum sane videtur, si quid aliud sit, cui dividua natura tribui possit, ita ut facile quispiam hoc uno vocabulo deducatur, ut per *Θάτερον* materiam intelligi censeat; sed donec illa argumenta valent, quibus demonstratum est, *Θάτερον* tamquam elementum animae non posse esse indefinitam materiae naturam, neque ullum aliud vestigium monstratur, quo haec vocabuli *Θάτερον* significatio confirmetur,

committere non possumus, ut argumentorum vim et auctoritatem negligamus, etiamsi confitendum esset, individuae et dividuae naturae notam non posse explicari. At ne ea quidem est difficultas, ut intelligi nequeat, quo sensu *ταῦτά* et *θάτερον* ea, quae proposita est, significatione, alterum individuum, dividuum alterum dici possit. Oportet tantummodo reminisci rursus illud placitum, ex quo aequalis sit rei cognitae cognoscentisque mentis natura, et observandum est, quod *θάτερον* non simpliciter dicitur dividuum esse, sed fieri dividuum circa corpora, ac facilis rei explicandae ratio in promptu erit. Opinatio enim pertinet ad res sensiles, ad corpora; quae quum dividua sint, ipsam etiam opinationem, vel illud principium, unde opinatio oritur, *θάτερον*, dividuam naturam induere sequitur, quatenus ad corpora pertinet. Ut alia ratione utamur, cognitio pertinet ad ideas, quarum quaeque una est, singularis, individua, quoniam non possunt duae esse ejusdem naturae et qualitatis;¹⁵⁾ propterea illud principium, unde cognitio proficiscitur, et ipsum unum et individuum esse necesse est; sub eandem autem ideam complures cadunt res sensiles ac singulares, *τὰ καθ' ἔκαστα*, ad quas omnes pertinet et in quas sese quasi dispergit idea; unde sequitur, ut opinatio etiam, quippe quae ad res sensiles pertineat, ejusque principium, *θάτερον*, dividuam naturam adsciscat. Utrum haec an illa explicatio praeserenda sit, dubitari potest, quum utraque habeat, quo commendetur; nec tamen multum differt, utram praestare judicemus, quoniam eadem est utriusque ratio; etenim ex individua et dividua natura rerum cognitarum ejus principii, unde cognitio proficiscitur, individua vel dividua natura repetitur. — Multo autem ad

¹⁵⁾ Cf. de rep. X. p. 597.

intelligendum facilius est, et extra omnem dubitationem videtur positum esse, cur *ταῦτον* dicatur individuum, *θατέρον* dividuum, si ad mundanae animae indolem respicimus. Orbis enim *ταῦτον* sive stellarum fixarum unus est, orbis autem *θατέρον* sive planetarum in septem diversos interque se distinctos circulos divisus est, ille ἀμερίς, hic μεγιστός.¹⁶⁾

Liceat jam, ubi explicandi finem facere possumus, sententiae summam paucis verbis comprehendere.

Animam et mundanam et humanam Plato statuit ex tribus elementis compositam esse, ex ideis identitatis et diversitatis et essentiae. Et essentia quidem admiscetur, ut quod ex diversitate composita cum identitate efficitur, recta esse dici possit. Identitas autem et diversitas, si mundum universum spectaveris, duplarem corporum coelestium motum significant, et stellarum fixarum, quae uno orbe circumaguntur, et planetarum, quae septem circulis volvuntur; quorum quum ille, qui dextrorsum fit, naturae *ταῦτον*, hic qui oblique sinistrorsum peragitur, naturae *θατέρον* respondere antiquis philosophis videatur, apte per individuam identitatis ac dividuam diversitatis naturam utriusque motus principium significatur. Sin autem animam humanam spectaverimus, eadem duae naturae ad duo illa rerum genera pertinent, quibus cognoscendis anima apta sit; quum enim ideae immutabiles semperque eadem sint, res sensiles fluxae et a se ipsae diversae, quumque idea

16) Tim. p. 36. D. μήν γὰρ αὐτὴν ἀσκιστὸν εἴασε, τὴν δὲ ἐπός σχίσας ἐπτὰ κύκλους ἀνίσους κατὰ τὴν τοῦ διπλασίου καὶ τριπλασίου διάστασιν ἐκάστην, οὐσῶν ἑκατέρων τριῶν κατὰ τὰντα μὲν ἀλλήλοις προσέσταξεν ἴσιαι τοὺς κύκλους, τάχει δὲ τοῖς μὲν ὅμοιώς, τοὺς δὲ τέτταρας ἀλλήλοις καὶ τοῖς τρισὶν ἀγομοίως ἐν λόγῳ δὲ φερομένους.

quaeque una sit ac singularis, multae autem, quae sub eam cadant, res sensiles, anima, ut utriusque generi cognoscendo pariter idonea sit, ex utriusque natura, ex individua identitatis et dividua diversitatis composita esse statuitur. —

IV.

Additamenti loco non inutile erit, ea verba ex Aristotelis de anima libris tractare, quibus Platonis de animae elementis sententiam refert, ut videamus, quoniam inter novissimos Platonicae sententiae interpretes vix unum alterumve consentientem habere nobis contigit,¹⁷⁾ num forte quae antiquissimus Platonicae philosophiae interpres eadem de re prodidit, aliquid ad nostram sententiam vel confirmandam vel refellendam conferre possint. Scribit autem Aristoteles de anima I, 2, 7. postquam Empedoclem animam ex elementis composuisse dixit, de Platone haec: *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ Πλάτων ἐν τῷ Τίμαιῳ τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ γηγνώσκεσθαι γὰρ τῷ ὄντοι τὸ ὅμοιον, τὰ δὲ πράγματα ἐκ τῶν ἀρχῶν εἰναι.* Quibus quidem verbis Stallbaumius I. l. p. 7. suam loci Platonici explicationem confirmari censet, per *στοιχεῖα*

¹⁷⁾ Ex iis, quos contuli, duos tantum inveni, quibuscum mihi in explicando Timaei loco maximam certe partem conveniat, Tennenmann Syst. der Plat. Phil. III. p. 64—75. et Herbartum Einleitung in die Phil. ed. III. p. 124. Quorum ille quum doceat et copiose locum explicaret, abstinere non potuit, quae est illius aetatis ratio, ab immiscendis placitis Kantianis; hic autem quum aliud agens philosophiam Platonis breviter perstringat, in eo acquiescit, ut animam ex ideis identitatis et diversitatis componi dicat; sed neque hujus explicationis rationes amplius exponit, neque quomodo dividua et individua natura ad alteram utram pertineat persequitur.

nimirum materiam significari ratus; sed verissime Trendelenburgius (de ideis etc. p. 86 et ad Aristot. de anima p. 228.) monuit, τὰ στοιχεῖα ab Aristotele saepius a materia ad cogitatas formas et notiones transferri. Metaph. I, 6. Quare illa Aristotelis verba multo magis confirmare quam labefactare nostram de Timaei loco sententiam videbuntur.

Pergit autem Aristoteles sic: ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λεγομένοις διωρίσθη, αὐτὸ μὲν τὸ ζῷον ἐξ αὐτῆς τῆς τοῦ ἐνὸς ἰδέας καὶ τοῦ πρώτου μήκους καὶ πλάτους καὶ βάθους, τὰ δὲ ἄλλα ὁμοιοτρόπως. ἔτι δὲ καὶ ἄλλως, νοῦν μὲν τὸ ἐν, ἐπιστήμην δὲ τὰ δύο, μοναχῶς γὰρ ἐφ' ἐν· τὸν δὲ τοῦ ἐπιπέδου ἀριθμὸν δόξαν, αὐσθησιν δὲ τὸν τοῦ στερεοῦ· οἱ μὲν γὰρ ἀριθμοὶ τὰ εἴδη αὐτὰ καὶ ἀγχαὶ ἐλέγοντο· εἰσὶ δὲ ἐκ τῶν στοιχείων. κοίνεται δὲ τὰ πράγματα τὰ μὲν νῷ, τὰ δὲ ἐπιστήμη, τὰ δὲ δόξῃ, τὰ δὲ αἰσθήσει· εἴδη δὲ οἱ ἀριθμοὶ οὗτοι τῶν πραγμάτων. Quo de loco quum doce et copiose veterum commentatorum interpretamentis adhibitis commentati sint duumviri clarissimi Brandtius (diatribe etc. p. 48—55. Mus. Rhen. II. p. 568—573.) et Trendelenburgius (de ideis p. 85—89 et ad Arist. de an. p. 220—234.), non susciperem denuo disputare, nisi in eorum explicationibus inesse aliquid viderem, idque satis grave, in quo mihi dissentendum esse arbitror. Etenim Trendelenburgius haec scribit ad explicandum locum (de ideis p. 86. ad Aristot. de an. p. 228): *Plato, quemadmodum pergitur, ut similia similibus cognoscerentur, eosdem numeros αὐτοῦ ζῷου fecit, eosdem menti indidit. Sic utraque loci pars arctissime conjungenda, neque altera ab altera divellenda, quasi ab illo ἔτι δὲ καὶ ἄλλως novi quid incipiatur.* Et in eandem sententiam deinde, ubi docuit

per αὐτὸν τὸ ζῷον non esse intelligendam animantis ideam, sed rerum universitatis exemplar intelligibile, haec adjicit: *His numeris, qui rerum universitatem idea continent, compunctionur iidem, qua in mente sunt vi ac potestate, ut quomodo illius rerum universitatis perceptio fieri possit, significetur.* Νῦν in unitate sibi constanti positus est; ἐπιστήμη quippe quae certa et vera, sicut recta linea unum tantum expedit, nec dextrorum, nec sinistrorum exspatians; dum vero expedit, motu opus est, qui quidem lineae imagine prominitur (μοναχῶς γὰρ ἐφ' ἐν); δόξῃ saepius ab unica veri via et quasi recta linea aberranti plani numerus tributus i. e. ternarius; tribus enim punctis planum desigitur; sicut αἰσθήσει omnes spatii dimensiones perscrutantī solidi numerus i. e. quaternarius; quatuor enim punctis, modo, quod quartum accedit, in uno et eodem ac reliqua situm sit plano, solidum velut pyramis definiri potest. — Sed hac explicatione, a qua Brandisius non longe recedit, si quid ego video, et verbis vis infertur, nec sententia apta efficitur. Quum enim Aristoteles primum Platonis de animae elementis sententiam e Timaeo referat, deinde per οὐοτῶς δὲ similem adjiciat e suis de philosophia libris, apertum est, quum deinde pergit ἐτι δὲ καὶ ἄλλως aliam rursus explicandi rationem afferri, nec per verborum vim ullo modo fieri potest, ut, quod voluit Trendelenburgius, utramque partem arctissime conjungamus, neque alteram ab altera discernamus. Sed licet in verbis faciles esse velimus, ne sententia quidem, quae inde oritur, apta judicari potest. Quod si eosdem numeros αὐτοζῷου fecit, eosdem menti indidit, ut similia similibus cognoscerentur, illud profecto necesse est, ut singuli αὐτοζῷου et mentis numeri sibi invicem respondeant, monas αὐτοζῷου monadi mentis, dyas dyadi et reliqua eodem modo. At vero hoc non est ita;

quum enim *αὐτός φον* tamquam intelligibile mundi exemplar unice ad *νοῦν* pertineat, neque vel ad *ἐπιστήμην*, vel ad *δόξαν*, vel ad *αἰσθησιν*, *νοῦς* autem in monade tamquam mentis elemento contineatur, monas mentis non monadi *αὐτοζώου*, sed ipsi *αὐτοζώῳ* respondet.

Ita quum nec verbis nec sententiae satisfacere videantur, qui universam narrationem, quae ab *όμοίως* δέ usque ad *τῶν πραγμάτων* continuatur, ita conjungant; ut eandem sententiam Platonis in iis referri censeant, quaerendum est, quomodo posito sententiarum discrimine subveniri loco explicando possit.

Et priore quidem enunciato *όμοίως* δὲ *καὶ* etc. Aristoteles dicit ipsum rerum universitatis exemplar Platonem compositum statuisse ex idea unitatis, ex prima longitudine, latitudine, et altitudine, vel ut in eodem notionum genere perseveremus, conversis quasi formulis geometricis in formulas arithmeticas, ex quatuor primis numeris idealibus, monade, dyade, ternario, et quaternario numero, et reliqua adjicit similiter se habere. Sed quo hoc pertineat, τὰ δὲ ἄλλα *όμοιοτρόπως*, dubitant ac dissentunt interpres; Brandisius enim admodum caute in iis explicandis versatur, quum hoc certe inde apparet dicit, unum tantum exemplum ex multis ab Aristotele afferri; ¹⁸⁾ et Trende-

18) Mus. Rhen. II. p. 569. Was Aristoteles hinzufügt, τὰ δὲ ἄλλα *όμοιοτρόπως*, zeigt mindestens, dass er nur ein Beispiel unter vielen anführt, wahrscheinlich aber auch zugleich, dass in der ferneren systematischen Anordnung der der Ur-idee des Alls untergeordneten Ideen, die erste Vierheit unter verschiedenen näheren Bestimmungen zu Grunde gelegt worden; denn wenn auch alle Griechischen Ausleger nichts vor sich hatten, als diese Aristotelische Stelle, in ihr selber fin-

lenburgius ne quid Platonii obtrudat, universas tantum ideas se intelligere dicit. Mihi quidem, si oppositionem respicio αὐτὸν μὲν τὸ ζῷον ἐξ αὐτῆς τῆς τοῦ ἐνὸς ιδέας etc. et τὰ δ' ἄλλα ὅμοιο τρόπως, non videtur dubium per τὰ δ' ἄλλα significari, ut statuerunt consentientes inter se Simplicius et Johannes Philoponus,¹⁹⁾ reliqua rerum genera, ἐπιστητά, δοξαστά, αἰσθητά. Quod si verum esse ponimus, Plato similis ratione, uti ex quatuor numeris idealibus αὐτὸν τὸ ζῷον componitur, reliqua etiam rerum genera effici dicit. Nolumus quaerere, quod neque Aristoteles definivit, nec fortasse ipse Plato vel voluit, vel potuit ac-

det ihre Auslegung Rechtfertigung, τὸ μὲν οὖν αὐτόζωον, τοῦτο ἔστι τὸν κόσμον τὸν νοητόν, ἐκ τῶν πρώτων ἐπολουν ἀρχῶν, τὰ δὲ ἐπὶ μέρους ἐκ τῶν ὑφεμένων — so Themistius, ähnlich Philoponus (s. de perd. Ar. libris de Id. etc. p. 49. 58. sq.) — wenn ihm und nicht vielmehr einem bessern und ältern, wie ich Grund habe zu vermuten, der Commentar zu den Büchern von der Seele angehört.

¹⁹⁾ Trendelenburgius discrepantiam quandam animadvertisit, quae his interpretibus intercedat. *Veteres interpretes*, scripsit de an. p. 229., *Simplicius et Philoponus iù δ' ἄλλα ad reliqua tria, quae ponunt, rerum genera trahunt, τὰ ἐπιστητά, τὰ δοξαστά, τὰ αἰσθητά, quae sunt Simplicii verba (Fol. 7, a.) sive ad τὰ νοητά, τὰ φυσικά, τὰ αἰσθητά, quemadmodum dixit Joh. Philoponus (C. fol. 2.)* Sed verborum istud potius est, quam rei discrimen. Nam Philoponus quum a principio non nisi tria rerum genera proponat νοητά, φυσικά, αἰσθητά, deinde tamen in expositione quatuor genera distincte et accurate discernit, νοητά, ἐπιστημονικά, φυσικά, quae eadem δοξαστά appellat, et αἰσθητά, ita ut τὰ ἄλλα, quum reliqua rerum genera his verbis significari censeat, non possit aliter explicuisse, nisi ut sint τὰ ἐπιστημονικά, τὰ δοξαστά, τὰ αἰσθητά.

curatius describere, quid vel discriminis intercedat, ubi autò τὸ ζῷον et ubi reliqua rerum genera ex quatuor numeris idealibus efficiuntur, vel quae sit similitudo; ²⁰⁾ hoc certe manifestum est, ad quodvis rerum genus pertinere ex Platonis sententia quatuor illarum idearum vim; eandem igitur consentaneum est, quoniam ad omnia genera pertinet, etiam in animae natura cerni, quo efficiatur, ut cognoscere res possit. Nam ex quibus ipsa facta est numeris, si singuli tum respondebunt iisdem singulis numeris et in intelligibili, et in opinabili ac sensibili rerum genere.

Sed praeterea, pergit Aristoteles, alia ratione statuerunt mentem esse monadem, scientiam dyadem, simpliciter enim eam ad unum tendere, plani autem numerum, i. e. numerum ternarium opinionem, et sensum numerum solidi sive quaternarium. Quae deinceps leguntur tamquam in parenthesi dieta intelligenda sunt, nam quod sub finem adjicitur εἰδη δ' οἱ ἀριθμοὶ οὗτοι τῶν πραγμάτων, non potest alio referri nisi ad quatuor illos numeros, qui ab initio commemorati erant. Dicit igitur explicationis caussa in parenthesi: *Numeri enim ipsae sunt ideae et principia nominantur, sunt autem ex elementis.* Jam finita explicatione pergit: *Judicantur autem res aliae mente, aliae cognitione, aliae opinione, aliae sensu. Isti autem numeri sunt ideae rerum.* — Quum hoc loco quatuor numeri ideales naturam animae ita efficere dicantur, ut e singulorum numerorum qualitate singulae orientur facultates, quumque deinde singulis facultatibus singula rerum genera dijudicari, illi autem numeri ideae rerum esse, i. e. earum naturam constituere dicantur: consentaneum est, ut cognoscens et cognitum recte

²⁰⁾ Cf. Brandisium in Mus. Rhen. II. p. 569. sq.

sibi respondeant, singulis numeris singulorum generum naturam constitui, neque vero conjunctis omnibus singula genera, ita quidem, ut monade efficiatur natura τῶν νοητῶν, dyade τῶν ἐπιστημονικῶν etc. neque vero, sicuti antea, conjuncta omnium quatuor idearum vis in quo-vis genere rerum cerni statuatur.

Duplex igitur ex hac loci Aristotelici explicatione statuendus erit numerorum idealium usus in describendis discernendisque rerum generibus, ita ut Plato et universe eorum numerorum vim ad omnia genera pertinere censuerit singulisque singulorum naturam designari, et speciatim quatuor illos numeros conjunctos singulis quibusque rerum generibus inesse. Quod quidem discrimen si cui argutius quaesitum esse videatur, provocare possumus ad testem haud contempnendum, Johannem Philoponum, ²¹⁾ qui idem discrimen copiose explicuit, et ita quidem, ut non ex ipso loco collegisse, sed aliunde hausisse videatur. Philopon. p. 2. ²²⁾

²¹⁾ Cf. not 18. sub finem.

²²⁾ Locum integrum exhibuit Brandisius I. I. p. 49; nostram ad rem sufficiet potissima inde repetere. Λόγις δὲ τῶν εἰδῶν τούτων ἔλεγε τὴν μοράδα καὶ δυάδα καὶ τριάδα καὶ τετράδα, διότι οἱ ἀπὸ μοράδος συντιθέμενοι μέραι τῆς τετραδός ποιοῦσι τὸν δέκα (α β γ δ δέκα γήγεται). εἴναι οὖν ἔλεγε τὰς τετραδικὰς ταύτας ἀρχὰς καὶ ποινῶς ἐν πάσι ταῖς οὖσι καὶ ἴδιᾳ, καὶ ἐν τε τοῖς νοητοῖς καὶ ἐν τοῖς φυσικοῖς καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς. Κοινῶς δὲ οὐν ἐπὶ πάντων μόραι μὲν τὰ νοητά ἀμερήγαντα ἐκείνον οὐ μόγον ἡ οὐσία, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐνέργεια ἐν στάσει καὶ ἀκινησίᾳ θεωρουμένη. διὰ δὲ καὶ ἡ ἐπιστήμη καὶ τὰ ἐπιστημονικά. — — τριάς δὲ τὰ φυσικὰ καὶ δοξαστα. — — — ἐν δὲ τοῖς αἰσθητοῖς, φημὶ δὲ τοῖς μερικοῖς τε καὶ ἀιόμοις, ἡ τετράς. — οὕτω

Inde duplex etiam de animae elementis sententia existet; nam utrobique ex quatuor numeris idealibus composita esse judicabitur, eo tamen discrimine, ut vel universi illi numeri conjunctim ad singula rerum cognoscendarum genera, vel singuli ad singula pertineant; quae quidem rationes licet satis sint diversae, tamen quum universa quaestio ita sit comparata, ut magis in quaerenda quadam rerum similitudine versetur, quam ad certas ac definitas notiones redigatur, facile fiet, ut altera cum altera conjungi posse videatur.

Sed jamjam redeundum est ad id, cuius caussa haec omnia disputavimus; illud enim spectavimus, num quid forte in his placitis Platonicis ab Aristotele relatis inveniatur, quod explicationem a nobis propositam confirmare aliquo modo possit. Nec frustra videmur quaesivisse. Ex utraque enim sententia, quam a Platone propositam esse Aristoteles significat, hoc certe colligitur, recte nos ab animae elementis omnem materiae naturam segregasse, sive illa corporum sit sive idearum; plane enim, ut nobis Plato in Timaeo ex ideis animam componere videbatur, Aristoteles eandem hoc loco ex numeris idealibus, i. e. ex numeris idearum naturam involventibus conformat. Quod si hoc modo utraque Platonis de animae elementis sententia, quam Aristoteles e suis de bono libris repetit, cum nostra

μὲν οὖν ἡ τετραδικὴ ἀρχὴ κοινῶς ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι θεωρεῖται. Καὶ ἴδιᾳ δέ φασιν ἐν τοῖς νοητοῖς αὐτὴν θεωρεῖσθαι, ἴδιᾳ δὲ ἐν τοῖς φυσικοῖς, ἴδιᾳ δὲ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς καὶ ἀτόμοις. — — — εἶναι οὖν ἔλεγε τὰς τετραδικὰς ταύτας ἀρχὰς καὶ ἐν τοῖς νοητοῖς καὶ ἐν τοῖς φυσικοῖς καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς· καὶ διὰ τοῦτο ἐπειδὴ ἡ ψυχὴ γιγνώσκει πάντα ταῦτα εἶναι καὶ αὐτὴν ἐν τῷν αὐτῶν ἀρχῶν μοράδος, δνάδος, τριάδος τετράδος. — —

loci Timaei explicatione consentit, ex altera potissimum nostra interpretandi ratio confirmari videtur ac stabiliri. Componit enim Plato ex Aristotelis testimonio animam ex quatuor numeris idealibus, quorum quisque unum quoddam ex quatuor cognoscendi generibus exprimat, quo anima par sit rebus cognitis; neque vero aliud spectare nobis visus est Plato in Timaeo, quum ex iis ideis animam conflatam esse voluit, quae utriusque cognitionis generis, et scientiae et opinacionis, indolem constituerent. Cui sententiae illud non obstat, quod illic quatuor, hic duo cognoscendi genera, atque inde illic quatuor, hic duo animae elementa posuit; namque eodem prorsus modo in libris de republica quum antea quatuor distinxerit cognoscendi genera, ἐπιστήμην, διάνοιαν, πίστιν, εἰκασίαν, deinde duo priora disertis verbis dicit se complecti uno ἐπιστήμῃ vocabulo et duo posteriora una δόξῃ notione,²³⁾ ut ab omni parte consentaneum sit, eum illa etiam quatuor genera, quae ab eo distincta esse Aristoteles refert, νόησιν, ἐπιστήμην, δόξαν, αἴσθησιν, sive illa eadem sint ac quae in libris de republica discernuntur, sive diversa,²⁴⁾ pro

²³⁾ Rep. VI. 511 D. καὶ μοι ἐπὶ τοῖς τέτταροι τμῆμασι τέτταρα ταῦτα παθήματα ἐν τῇ ψυχῇ γνηγόμενα λαβέ, νόησιν μὲν ἐπὶ τῷ ἀνωτάτῳ, διάνοιαν δὲ ἐπὶ τῷ δευτέρῳ, τῷ τρίτῳ δὲ πίστιν ἀπόδοσις καὶ τῷ τελευταῖοι εἰκασίαν. coll. VII. 533. E. ἀρέσκει οὖν, ὡς περ τὸ πρότερον, τὴν μὲν πρώτην μοῖραν ἐπιστήμην καλεῖν, δευτέρην δὲ διάνοιαν, τρίτην δὲ πίστιν καὶ εἰκασίαν τετάρτην· καὶ ξυναμφότεροι μὲν ταῦτα δόξαν, ξυναμφότεροι δὲ ἔκεινα νόησιν· καὶ δόξαν μὲν περὶ γένεσιν, νόησιν δὲ περὶ οὐσιῶν· καὶ ὅτι οὐσιῶν πρὸς γένεσιν, νόησιν πρὸς δόξαν ἐπιστήμην πρὸς πίστιν καὶ διάνοιαν πρὸς εἰκασίαν.

²⁴⁾ Illud Brandisio visum est Mus. Rhen. p. 570. sq., hoc Tredelenburgio de an. p. 232. sq.

diverso disputationis consilio duorum generum ἐπιστήμης
et δοξῆς notionibus comprehendere potuisse. Et hanc qui-
dem partiendi rationem cur in Timaeo praetulerit, caussa
satis est manifesta; quum enim id praecipue spectaret, ut
anima humanae et mundanae natura altera alteri congrua
esse videretur, quumque nonnisi duplex cerneretur in uni-
verso mundo motus, ea instituenda erat in facultatibus hu-
manis distinguendis ratio, qua ejus natura duplex exsisteret.

E m e n d a n d a.

p. 57. v. 5. del. *vel mundum intelligibilem.*